BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
20 C
4

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

14-9.G.24.

46.4.11.

DE

[illegible]SCENSV

[illegible]ENTIS IN DEVM

[illegible]



Applic.° al Coll.° Rom.

[illegible]

46.
C.
11.

DE ASCENSV MENTIS IN DEVM,

EX PLATONICA ET PERIPATETICA DOCTRINA LIBRI SEX.

D. STEPHANO CONVENTIO BONONIENSE AVTHORE Ex Familia D. Seruatoris.

AD NOBILISSIMVM VINCENTIVM Malpilium Lucenſem.



*V*ENETIIS *Ex Officina Ioannis Baptiſtæ Somaſchi.* M D L X I I I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

12 20 C 4

(01)

(+1)

PRVDENTISSIMO, NOBILISSIMO'QVE VIRO, VINCENTIO MALPILIO LVCENSI STEPHANVS CONVENTIVS BONONIENSIS FOELICITATEM.

CVM uetus illud adagium(Magnanime Vincenti) omniũ uno conſenſu firmatum, quod & in ſupplicationibus hunc in modum proferebatur, Beatorum antiquiſsima ſalus in reliquam uitam tecum ſim; non corporis,ſed alterius partis ſanitatem præmonſtret: medicos imitati, qui

languores depellere nequeunt intimos, ni prius ſubiecti corporis nouerint harmoniam in humorum cõcentu fundatam: nos etiam mentem erudientes, curis, quæ ipſam torquẽt, non poterimus liberare: niſi prius cognitionem tam præclaræ ſubſtantiæ fuerimus conſecuti. In quo quidem eò libentius curæ omnes, noſtræque cogitationes euigilare debent, quòd præ illo corporis, animæ ſit longè deterius infortunium. Arbitrabatur enim maximus ille Tyrius eas partes in paruo mundo corpus obtinere, quales in ciuitate populo tribuuntur: ex quo quidem oritur, ut animus rex dicatur, & populi gubernator. Hinc etiam huius partis dignitatem ſpectabat quòd Periclis ductu languidus populus emergebat, qui Dionyſij culpa ille (quamuis ſanus) ſanitatem ta-

men ſibi conſeruare non poterat. Si enim hominem ſibi natum, ſuique ignorantia infirmum conſideremus: is profectò (ut admonet Proclus) à ſe ipſo diſcrepat, in diuerſasq́; ſententias trahitur: nam à ſenſibus intromittuntur aliqua, imaginatio multa commiſcet, perſuadet opinio, ira deteſtatur, præcipitat concupiſcentia. Hunc quoque ſi rei familiaris curam habere contigerit, Lares, Deoſque contemnit, ac omnia pro luxu moderatur. Si huic tandem cura ciuitatis fuerit demandata, leges ſtatim euertit, in Deum exoritur impietas, in extraneos bellum, in ſuos ſæuitia, unde ipſum ruit imperium. Hunc igitur animi morbum à ſe, reicient omnes, & qui aliqua ex parte ipſo laborarint. Deo parentes Optimo maximo ſui cognitione iam ſe liberatos

experientur. Eſt enim animi perfecta ſanitas, quæ accommodatur beatis, uita diuina in ipſa quidem à rebus ſenſum mouentibus, ſenſuumq; paſſionibus ſeparatione conſiſtens. Ad hanc autem ex platonicorum ſententia nos tunc contulerimus, cùm per ſermones, & diſciplinas foris adhibitas conditionem nacti fuerimus purgatoriam, quam una noſtrùm cognitione conſequimur. Interior enim homo, qui Deo coniunctus eſſe debet, aliam ingreſſus animam, quæ circa ipſam ſunt, contemplatur, hacq; ſola ratione fati, & neceſſitatis uinculo alligatur. Vt igitur ad primum mundi Opificem redeat, medij alicuius indiget ope, quòd Deo ſit ſimillimum: hoc autem apud Platonicos, quoſlibetque uerè philoſophos ipſemet iudicatur: de quo qui-

dem hoc in libro hac una ratione ſer monem habebo, quid platonici, peripateticiq́; ſenſerint adducẽs in medium. Vix autem opus iſtud de Aſcenſu mentis in Deum lumini, hominumq́; oculis exponendum putaui, cum ex Lucenſis Reip. ciuibus te (Vincenti nobiliſsime) Optimum, Solem quidem lucidiſsimum & eſſe, & ab omnibus haberi conſpexerim. Tu enim diuini cuiuſdam influxus munere, à philoſophica mente tua defluentis non ſolum Reip. tuæ decus es, & ornamentum maximum: ſed ea etiam in uirtutem, illiusq́; cupidos beneficia contuliſti, ut horum quidem ægeſtatibus, uel calamitatibus ſemper tuleris opem: Illam uerò tuo ſplendore à tenebris ad lucem, quinetiam ab interitu penè ad uitam magnis ſumptibus reuocaueris. Cũ

igitur & uirtutis fautoribus plurimum debeam, & an partus nuper editus eſſet educandus, experiri tentarem, opuſculum iſtud aquilarum more tuis ſolaribus radijs exponendum, & hoc uirtutis genere pro maximis in uirtutem collatis beneficijs, quas poſſum gratias tibi agendas exiſtimaui: quorum quidem tantum abeſt ut obliuionem capere poſsim, ut memoriam etiam in perpetuum conſeruaturum pollicear. Quapropter munuſculum iſtud hilari uultu excipe, & cum ualetudinem, me quoq; pro tua ſingulari humanitate, è qua te natum iure iurando contenderem, ne dedigneris curare. Hoc autem ſi (ut ſpero, & opto) conſecutus fuero, cæterorum quidem fortunam non æquaſſe modò, at eam quoq; me longè ſuperaſſe credidero.

CAPITA PRIMI LIBRI.

QVO nam modo in huius aſcenſus cognitionem poſſimus conſcẽdere declaratur. Cap. i. car. 1

Quid de platonicæ diſciplinę conſtantia ſentire debeamus exponitur. Cap. ij. 3

Quæ in Platonem adducta fuerunt perpẽduntur. Cap. iij. 4

Quid ſit deſcenſus declaratur. Cap. iiij. 8

Quam huius deſcenſus cauſam aſſignarint platonici. Cap. v. 11

Quæ hanc ueritatem uidentur infringere, recenſentur, illaq; radicitus euelluntur. Cap. vi. 12

An neceſſitate deſcendat anima. Cap. vij. 13

Quid cõmodi, uel incõmodi; utilitatis, uel ærumnæ ſecum ferat iſte deſcenſus. Cap. viij. 15

Ex animarum deſcenſu quo nam modo colatur Deus, explicatur. Cap. ix. 17

Quid utilitatis ex deſcenſu confluat animæ. Cap. x. 18

Quomodo deſcenſus cauſa alam ſecundam anima potentiorem emittat declaratur: & quæ de ala prima dicta fuerunt, corriguntur. Cap. xi. 20

Capita Secundi Libri.

AN mentis aſcenſum, reliquosq́; animæ ſtatus cognouerit Ariſtoteles explicatur. Cap.i. 23
Fidem iam dictis adhibendam eſſe oſtenditur. Cap.ij. 25
Quo nam modo deſcenſum peripateticè poſſimus finire. Cap.iij. 27
Diſſidium quoddam inter Ariſtote. & Plotinum recenſetur, illudq́ue componitur pro uiribus. Cap.iiij. 30
De modo quo anima rationalis coniungitur corpori Latinorum explicatur ſententia. Cap.v. 31
Hæc reprobatur opinio. Cap.vi. 32
Quas huius deſcenſus cauſas in medium adduxerit Ariſt. declaratur. Cap.vij. 34
Dubium quoddam ex dictis emanans exponitur, funditusq́; proſternitur. Cap.viij. 36
De huius deſcenſus neceſſitate quid Ariſtotelis ſenſerit declaratur. Cap.ix. 37
Quæ contra determinata in medium adduci poſſunt abſurda, recenſentur. Cap.x. 39
Hæc quæ peripateticam diſciplinam uidentur opprimere, funditus proſternuntur. Cap. xi. 41

Capita Tertij Libri.

QVonam modo Platonici deſcribant aſcē ſu, explicatur. Cap.i. 43
An aſcendendi animæ facultas concedatur, pauciſſimis, declaratur. Cap.ij. 45
Quæ nam ſit animæ diuiſio ſecundum Platonicos in membra ſeptem. Cap.iij. 46
Quę ſint animæ membra ſeptem, platonicè manifeſtatur. Cap.iiij. 46
Quæ ſint penulæ aſcenſui conferētes, enumeratur. Cap.v. 47
De intellectus humani obiecto Platonica explicatur ſententia. Cap.vi. 48
An ad diuina hic intellectus progreſſus ſe conferat cognoſcenda, declaratur. Cap.vij. 50
De intelligendi difficultate. Cap.viij. 51
De quodam intrinſeco intelligendi principio, Platonicè habetur oratio. Cap.ix. 51
Quo nam modo concreatæ notiones deſeruiant intellectui, explicatur. Cap.x. 53
De huius principij neceſſitate Platonica recenſetur ſententia. Cap.xi. 53
Quo nam modo notiones innatas eſſe menti Marſilius dixerit, explicatur. Cap.xij. 54
Hæc doctiſſimi Marſilij reprobatur opinio. Cap.xiij. 56

Platonis uerba ſexto de Republica habita exponuntur. Cap.xiiij. 57
De intrinſeco alio cognoſcendi principio, Platonica recenſetur ſententia. Cap.xv. 59
Quod nunc determinata uidetur infringere proſternitur funditus. Cap.xvi. 60
De quodam extrinſeco cognoſcendi principio Platonicè habetur oratio. Cap.xvij. 62
Iam dicta comprobantur. Cap.xviij. 62
An aliud admittendum ſit intelligendi principium enucleatur. Cap.xix. 63

Capita Libri quarti.

QVID ſit aſcenſus peripateticè declaratur. Cap.i. 65
Quid de alis aſcenſui neceſſarijs peripateticè ſit ſentiendum, explicatur. Cap.ij. 66
De intellectus progreſſi obiecto peripatetica explicatur ſententia. Cap.iij. 67
An de abſtractis cognitionem nanciſcatur, qui noſter eſt intellectus. Cap.iiij. 70
Quare diuina tāta cum difficultate cognoſcamus, exponitur. Cap.v. 70
De ſeminario intelligendi principio, quid ſenſerit Ariſto. explicatur. Cap.vi. 73
Aliorum recenſetur opinio. Cap.vij. 74

Huius opinionis falſitas demoſtratur. Cap. viij. 75
Aduerſariorum rationes radicitus euelluntur. Cap. ix. 77
An intrinſecũ ponat Ariſtoteles intelligendi principium, declaratur. Cap. x. 79
De agentis intellectus natura, peripatetica explicatur ſententia. Cap. xi. 82
Quæ ueritati huic aduerſantur, in medium adducuntur. Cap. xij. 84
Hæc diruuntur obiecta. Cap. xiij. 85
Quo nam modo iſtud exequatur intellectus agens, exponitur. Cap. xiiij. 88

Capita Libri quinti.

QVo nam modo Plato ſignificauerit aſcẽdendum, recenſetur. Cap. i. 91
Breuis eorum habetur oratio, quæ ruditatem noſtram ſignificabant. Cap. ij. 92
De animæ rationalis à uinculis ſolutione, Platonis ſententia exponitur. Cap. iij. 95
De animi purgatione quid ſit platonicè ſentiẽdum, enodatur. Cap. iiij. 97
Quę nam animi purgatio ex diſciplinis moralibus nobis confluat oſtenditur. Cap. v. 99
Quæ primo platonicam conſuetudinem abſoluant, recenſentur. Cap. vi. 101

De mathematicalium diſciplinarum iuuamine. cap.vij. 103
De poſtnaturali facultate, eiusq́ue utilitate. Cap.viij. 105
Obiecta quædam recenſentur, illaq́; funditus euertuntur. Cap.ix. 105
De aſcenſu ſecundum alios Plotini recenſetur opinio. Cap.x. 106
Hæc reprobatur opinio. Cap.xi. 107
Vera Plotini explicatur ſententia. Cap.xij. 109
Quæ de diuinis ex habitu philoſophico cognitio confluat declaratur. Cap.xiij. 112
Quid ſic affectis confluat ex aſcenſu, platonicè declaratur. Cap.xiiij. 113

Capita Libri ſexti.

DE ſeparatione animæ à corpore peripatetica explicatur ſententia. Cap.i. 118
Duplex hæc à corpore animę ſeparatio examine diligentiori perpenditur. Cap.ij. 120
Quantũ ad diſciplinas attinet primũ inter Platonicos, et peripateticos aperitur diſcrimẽ. c.iij. 122
Diſcrimen aliud inter hos philoſophię principes manifeſtatur. Cap.iiij. 123

FINIS.

08

STEPHANI CONVENTII BONONIENSIS

DE ASCENSV MENTIS IN DEVM

Liber Primus.

In quo De Animarum deſcenſu prius habetur oratio,

Quo nam modo in huius aſcenſus cognitionem poſſimus conſcendere declaratur.

Caput Primum.

OPPOSITORVM *eandem eſſe diſciplinã uetus quidem fuit opinio, Philoſophorum etiam omnium firmata conſenſu. Cum autem aſcenſui oppoſitus ſit deſcenſus, & ex Platonis, Ariſtotelisq́; ſententia præcedat aſcenſum: ex hoc deducitur profectò tunc nos aſcenſus cognitionem aſſequi, cum animarũ deſcenſum poterimus probè dignoſcere. Sed quoniam res iſta (meo quidem iudicio) ardua eſt, & difficilis, hinc eam al-*

tius repetendam putaui. Platonem igitur, & eos, qui ad ipſius doctrinam, uelut ad ſcopum omnia uerba referunt, & cogitationes, animã modis quatuor conſideraſſe deprehendi, ante corpus, in illa procliuitate ad corpus, in corpore, & extra corpus. Ante corpus quidem animam extitiſſe in Timæo his uerbis ſignificabat Plato. Ego uobis ſemen, & initium tradam; uos cætera exequi par eſt, ut immortali naturæ mortalem attexentes, faciatis, generetisq; animalia, ſubminiſtrantesq; alimenta, augeatis, & ſumpta rurſus recipiatis. Quæ quidem uerba forte legerat apud Mercuriũ in Pimandro cap. tertio, que ſunt iſta. Quiſque Deorũ ex interna uirtute aſcriptum ſibi opus expleuit. Nata ſunt ergo uiuentia quadrupedia, reptilia, aquatica, ſimulatq; uolantia. Ex Platonis ſententia idem nobis oſtenderat Alcinous lib. de doctrina Platonis, cap. 16, dicens. Cum hæc omnia fabricata eſſent, reſtabant mortalium animantium genera tria uolatilium, natantium, atque gradientium: quorum generationem filijs ſuis faber mundi mandauit; nam ſi hæc ipſe genuiſſet, immortalia nata fuiſſent. De anima uerò noſtra immortali cap. 25. hæc habuit uerba. Animam hominis immortalem à primo Deo ſuſcipientes Dij mortaliũ generum conditores, partes illi duas mortales, ut diximus, adiunxerunt. Plotinus lib. de

ſubſtautijs cognoſcétibus cap. ſexto rem iſtam aperiebat dicens. Atqui quàm diu in ſuperna extitimus regione, in ipſa mentis natura ſufficienter inde nos habebamus. Porphyrius licet religioni adhęrens oppoſitum quandoque ſenſiſſe uideatur: lib. tamen de Animalium abſtinentia hæc habuit uerba. Eramus.n.& adhuc ſumus intellectuales. Et paucis interpoſitis dicebat. Quamobrem ſi ad priſtinum ſtatũ redire pro uiribus affectamus. Proclus quoque lib.de Anima, & dæmone inquiebat animas noſtras hic peruagari circa eorum imagines, quæ in patria uiderant: & ad eas imagines magis affici, quarum exemplaria illic attentius cõtemplatæ fuerant: & quæ illic inſpexerant, earum ſimilitudinem amare. Pythagorę etiam iſtud aſcribitur, quippe qui a circulo lacteo Plutonis imperium incipere dixerit. Animæ nanque inde lapſæ uidentur a ſuperis receſſiſſe, indeq; primum naſcentibus ferri ad lactis alimoniam: primus.n. motus eis incipit à lacteo in corpora terrena labentibus. Macrobius tandem ſuper libɾum de Somno Scipionis idem aſſerere non erubuit. Valeant igitur moderni quidam, qui platonicos his uerbis oſtendere dicunt animæ nobilitatem: ac ſi a ſupernis huc deueniat hominis anima; quoniam à Deo creata.

De ſecundo autem animarum ſtatu, de deſcen-

ſu ſcilicet hæc in Phędro apud Platonem uerba legimus. Regula autem Adraſtiæ.i. ineuitabilis numinis hæc eſt, ut quæcunque anima Deum comitata, aliquid uerorum inſpexerit, ea uſque ad circuitum alium ſit indemnis: & ſi ſemper hoc facere queat, ſit ſemper illæſa. Si uero impotens aſſequendi nō inſpexerit, & caſu aliquo uſa, repletaq; obliuione, & prauitate grauetur, grauata pennas confregerit, in terramq; ceciderit: tunc prohibet lex hanc in prima generatione in aliquam brutalem ire naturam. Proclus lib. de Anima, & Dæmone in ſententiam præceptoris diſcedens, inquiebat deceſum animam à diuinis ſeiunxiſſe, à quibus inſtelligentia, poteſtate, atque puritate implebatur. Plotinus lib. de Subſtantijs cognoſcentibus his uerbis prolatis; Atqui quàm diu in ſuperna extitimus regione, ſubintulit etiam, Poſtquàm uero huc deuenimus. Porphyrius tandem inquiebat animã relictis diuinorum ſpeculationibus ad inferiora ſe conuertere, uelut deprauatam terram, quæ licet exceperit triticum, reddit tamen lolium.

De tertio nō eſt cur dixerim multa: illa.n. experimur mala, quæ ſecum fert tertius hic animæ ſtatus. Porphyrius.n. lib. de Animalium abſtinentia nos ſenſibili naturæ copulatos aſſeruit. Proclus lib. de Anima, & Dæmone animas noſtras hic dixit peruagari, ægrotare in corpore, delirare, &

cum Plotino lib. de Subſtãtijs cognoſcentibus cap. ſexto non rerum eſſentias, ſed earum imagines aſfirmauit contemplari. Sed cur uerba profundo? Ipſemet Plato ſeptimo de Rep. tertium hunc animæ ſtatũ diuinè admodum nobis depinxit his uerbis. Finge animo ſubterraneum ſpecus, cuius ingreſſus uerſus lumen per antrum totum peruius undique pateat: In eo homines nutritos à pueritia, ceruicem, & crura ita deuinctos, ut & immobiles permanere cogantur, & ad interiora tantum proſpicere, capita uero uinculis adſtricta circunducere nequeant. Poſt tergum autem ſuperne, ac procul ignis lumen ſuſpenſum ſit, interq; ignem, & uinctos homines uia ſuperior pateat, ſecus quã paries ſit conſtructus exiguus, ſicut plerunq; præſtigiatoribus miracula fingentibus ſcenæ, ſeu cortinæ aliquæ, ſuper quibus ſua miranda demonſtrant, coram ſpectantium oculis proponuntur. Cogita rurſus homines intra parietem ferentes uaſa, & opificia uaria ſupra parietem eminentia, ſtatuasq; hominum, et aliorum animalium lapideas, & ligneas imagines, modisq; uarijs fabricatas: atque (ut cõſentaneum eſt) qui hæc circunferunt partim ſileant, partim loquantur.

De quarto tandem animæ ſtatu diffuſe admodum in Phędone ſub perſona Socratis habuit uerba Plato. In Gorgia quoque conſtitutas aſſerit pœ

nas iniuſtis animis poſt mortem, iuſtis uero decreta præmia. Hoc autem uerum eſſe, non fabuloſum, non ſolum decimo legum affirmat, ſed ibidem etiam legem punientem eos, qui hoc negauerint, uoluit ferre. Ex his igitur patet animas rationales poſt mortem ſecundum Platonis ſententiam remanere: quemadmodum in opuſculo de animorum immortalitate ſatis abunde declaraui.

Quid de Platonicæ diſciplinæ conſtantia ſentire debeamus, exponitur. Cap. II.

QVod à principio mihi dilucidandum propoſui, aggredi nunquã auderem, quin ſcrupulis quibuſdam eiectis Platoni fidem adhibendam prius exponerem. Duo quidem in Platonis doctrina conſpexi, quibus ad hoc aſſerendum aliqui ducerentur, uel ſ. nihil literarum monumentis mãdaſſe Platonem: uel quid ſibi uellet tot uerbis, cum de ſpiritualibus præſertim habetur oratio, penitus ignoraſſe. Primum quidem ipſiuſmet uerbis affirmant, quippe non ſe excuſans in Apologia, ſed accuſatores accuſans hoc ſe unum ſcire profitebatur, quod omnia ipſum præterirent. Sed quoniã qui Platonis partes tuentur, illius uerba diuinitatem quandam præſeferre cõtendunt, ad id tandẽ abſurdi Platonis ſectatores detrudũt, ut præceptorẽ de diuinis præſertim nihil

fateantur ſcripſiſſe. Plato.n. epiſtola ſecunda inquiebat: Nihil ego de ijs ſcripſi unquàm: neque eſt Platonis opus perſcriptum aliquod, neque erit. Quæ autem modo dicuntur, Socratis ſunt: qui uir etiam dum iuuenis eſſet, uirtute claruit. Cæteros quoque ut eundem morem obſeruarent his uerbis hortabatur. Maxima uero huius rei cuſtodia eſt, nihil ſcribere, ſed addiſcere. Et paucis interpoſitis dicebat Vale, & nobis crede. Alterum autem ex ambiguitate, quam illius ſcripta vulgo circumlata, indicant, ſibi depromunt. Carneades.n. omnia Platoni ambigua fuiſſe putauit. Archeſilas autem certi nihil habuiſſe Platonem dixit, licet probabile de rebus attulerit aliquid, & ueriſimile. Zenocrates tandem, & ammonius aliqua, quamuis perpauca, determinaſſe putarunt, videlicet de prouidentia, & animorum immortalitate. Addo ego nonnullos in hanc inſaniam traxiſſe Platonem, ut nec quidem animorum immortalitatē ipſe potuerit ſuſpicari. Plato.n.in Apologia quadā uſus eſt diſiūctiua, inquiens rei ductus ambiguitate aut ſenſum nullum mortuo ſupereſſe, uel aliquem ſupereſſe. Negatiuæ autem parti adhæſiſſe Platonem propterea iſti ſunt arbitrati: quoniam rationalem animam corporalium organorum opera tunc uti confeſſus eſt ipſe, cum in Timæo ratio nalem cerebrum, tanquàm ſedem propriam, ſibi

uendicaſſe putauit: & iraſcibilem in corde, concupiſcibilem uero collocauit in hepate, animam noſtram diuiſibilem eſſe præmonſtrans.

Quæ in Platonem adducta ſunt, perpenduntur. Cap. III.

TAntum abeſt, ut quæ in optimũ uirum Platonem adducebantur in medium roboris quicquàm contineant, et efficaciȩ; ut unico uerbo potius cuncta funditus proſternantur, cum nihil mandare literis argumentum ignorantiæ apud non ignaros eſſe non poſſit. Huic autem rei ueritatem non ſolum cũ doctiſſimo Beſſarione hinc mihi depromo, quòd non liceat ſanctũ dare canibus; ſed illud quoque addendum eſt neceſſarium, quoniam nos, etiam inuiti, diuina non poſſumus non ſubticere. Duplicem .n. de diuinis cognitionem habuiſſe Platonem deprehendo; una quidẽ fuit uiribus naturalibus habita: reliquã verò inſpiratione Dæmonica eſt conſecutus. Quã Plato illius coniunctionis, copulationisq; beneficio, propriæ ſcilicet mentis cum illa communi fuit adeptus, nec poterat, nec decens erat ipſam diuulgare. Non enim poterat, quoniam cum menti, intellectuiq; primo hæc noſtra particularis coniungi-

tur; ex finita quodam modo redditur infinita, ſi diuina debet intueri; & cum extaſis illa non ſit perpetua (quod etiam lib. de Bono, uel uno fatetur Plotinus) hinc arctiſſima illa copulatione ſoluta, ad priſtinum ſtatum redit mens noſtra, cuius culpa licet illis ſimilia ſe cognoſcere profiteatur, priora tamen nec etiam excogitare poteſt. Hanc ueritatem in Apologia Socratis Plato ſignificauit, cum unum ſcire diceret, quòd nihil ſciret. Ego.n. (exponebat Marſilius) in naturali lumine res per ipſum affirmationis modũ neſcio. Eiuſmodi enim ſcientia Dei propria eſt, qui & naturas ipſas, & naturarum cauſas comprehendit, cum ipſemet fecerit. Scio tamen multa per quendam negationis modum, ueluti quòd Deus non ſit corpus, potiuſquàm, quòd ſit. Item ꝙ anima non ſit mortalis, magiſquàm, quòd ſit. Rurſus ꝙ bonum abſolutũ non hoc eſt, aut illud bonum, potiuſquàm, quòd ſit. Sed ego (dicebat Socrates ſecundum Marſilium) abſtractus à corpore, raptus à Dæmone, illuſtratus à Deo, ſcio equidem in diuino lumine præter cætera hoc unũ, quòd coniunctus corpori nihil in lumine naturali ſcio. Hoc idem de Minoe dixerunt Platonici, qui Deo familiariter utens ex auguſtiſſima illius bonitate leges quidem ſanctiſſimas ſibi deſumpſit, ab illis diuinis degenerantes: licet in illo mentis exceſſu longe diuiniores fuerit

contemplatus. Cognitionem autem, quam poſt extaſim unius animi puritatis beneficio immaculatam, intemeratamq; ſibi conſeruabat, hanc quidem communicare poterat Plato: ſed nullo perſonarum delectu habito illam diuulgare incongruum eſſe putauit, Pythagoram imitatus. Nulla enim ratione alia puriſſimus ille Pythagoras tãti fecit ſilentium, quàm quòd (ut ad Hipparcum ſcripſerat Lyſis) bona phyloſophiæ non erant cũ ijs facienda communia, qui nec etiam animi purificationem ſomniare potuerunt: quemadmodum nec prophanis hominibus eleuſiniarum Dearum licebat arcana patefacere. Ne autem oppoſitum præter ſpem, & optata contingeret, nec Pythagoras, nec Plato de huiuſmodi quicquàm literis mãdare uoluerunt. Inquiebat enim epiſtola ſecunda Plato maximam huius rei cuſtodiam eſſe, nihil ſcribere, ſed addiſcere: nam quæ ſcribuntur contineri non poſſunt. Nec poſt mortem ſui quicquàm Pythagoras reliquiſſet, niſi fide fretus filiæ Damę, illud omne, licet pauxillum, non diuulgandum exiſtimaſſet. Suſcepto quoque conſilio dixerat Plato nihil de diuinis ſcribendũ, ſed addiſcendum: quandoquidem (quod etiam ſenſit Pythagoras) non ſolum res illæ diuinæ ſi animis continentur, tutius conſeruari poſſunt. Sed etiam literarum præſidio minime freti, erimus doctiores, inſtituta philoſo-

phiæ animo, non codicibus commendantes. Hunc eundem morem primarios hæbreorum ſapientes obſeruaſſe deprehendi: nam Aegyptius ille Moyſes apud ipſos concionator celeberrimus lib. perplexorum primo. cap. 60. cauſam in medium adducebat, cur auguſtiſſima illa hæbreorum ſcientia ſit deperdita: & inquiebat nullam aliam ob cauſam iſtud accidiſſe, quàm longitudinis dierum culpa, & dominationis gentis ſuper eos inſipientis maleficio. Longitudo quidem dierum iſtud attulit damni, quoniam hoc apud hæbreos diuinum recipiebatur præceptum, ne ſcilicet uerba, quæ ſibi dicta erant cordetenus, ipſi dicerent ſcripto. Hinc Plato epiſtola. 2. per Archedemum tantum ſententiam propriam de diuinis Dioniſio explicaturum pollicetur. Gens etiam illa inſipiens ſcientiæ calamitas poteſt nuncupari: quoniam non dabantur arcana legis (inquiebat Moyſes) niſi conſiliario ſapienti. Sed primarij ſapientes, & purificati cordis homines ex hac uita diſceſſerunt, captiuiq; reliqui mechanicis operibus ſe dederunt: hinc factũ eſt igitur, ut ſcientia illa ſit deperdita. Hoc eodem in loco cauſam aſſignat Moyſes, cur quæ cordetenus illis dicebantur, ipſis ſcripto dicere non liceret, ne ſcilicet in ſcientiarum multitudinem inciderẽt, et opinionum diuerſitatem. Quam ueritatem epiſtola. 2. diuine admodum Plato ſignificauit, in-

quiens. Caue tamen ne excidant hæc unquàm in aures hominum diſciplinæ, eruditionisque expertium. Nulla.n.ſunt (ut mea fert opinio) quæ dicta ad populũ magis ridicula uideãtur: neque quæ apud ingenuos magis mirabilia, et diuina. Si aũt loci diſtantiæ culpa per literas de diuinis amicum docere cogimur, enigmatice hęc propalanda iudicarunt ſapientes; unde fictis quibuſdam literis, Hierogriphis nuncupatis, Aegyptij ſacra communicabant. Plato autem epiſtola. 2. hunc morem obſeruandum his uerbis ſignificauit. Dicendum eſt igitur tibi nunc per enigmata quædã, ut ſi quid huic tabellæ uel mari, uel terra contingat; qui eam legerit, intelligere nõ ualeat. Hanc aũt de diuinis cognitioné nõ eſſe fictitiã licet inferius ſit dilucidandũ: nunc ſapientũ quorundã autoritas ab ambiguitate omni animũ liberet, aſſerétium diuina quidé nec à ratione inueſtigãda, nec ꝑ rationé inueſtigata: quibus nec ſenſus prębuit hippoſtaſim, nec intellectus diſciplinã: quibus tandé nulla eſt adæquata cauſa. Quod etiam luce clarius in ſupernaturalibus expreſſit Theophraſtus, inquiens nos ad aliquid uſq; per cauſam ſpeculari poſſe, ſenſuum utétes beneficio. Cum autem peruentum fuerit ad illa, quæ ſunt à ſenſibus remotiſſima, non amplius hoc ſpeculandi genus poſſumus exercere, uel qui cauſam non habemus, uel culpa noſtræ infirmita-

tis. Verum ſi de illa loquamur cognitione, ſenſuum beneficio acquiſita: eam quidem literis mandaſſe epiſtola. 2. fatebatur Plato, qua tamen ſcientia diuina perfectè nobis non explicantur. Explicare nanq; diuina uelle (in Timæo dicebat Plato) eſt pluſquàm uires noſtræ ſufficiant. Hęc enim eſt Socratis, cum eam ratione ſit conſecutus à Socrate. Eſt tandem Socratis iunioris, quoniam ratione ſenſibus complicata ipſam acquiſiuit, quam tamen in minimis non eſſe ponendam ſermone primo his uerbis oſtenderat platonicus ille Tyrius. Qui Platonis in ſermones inciderit, atque meliores deſiderarit, ac ſi exilis lux, & minime clara in ipſis reperiatur: hic profectò exorientem Solem, uel refulgentem Lunam, aut heſperum occidentem, aut luciferum præuenientem nunquàm aſpiciet. Illud tamen nos monent ſapientes, ea ſcilicet, quę hac ſcientia declarantur, obſcura quadam uia nobis exprimi à Platone ut ſint abſcondita plebi, diutius ſint omnibus admirationi, et attentius capiantur, Pythagoram imitatus, qui ſuam ipſius philoſophiam ſimbolis explicauit. Nos autem, ſi Platonis ſcripta percipere, ſi quæ nam affirmarit, deprehendere uolumus: Pythagorico præcepto pareamus, eſt neceſſarium. Audire nanq; debemus, pro tempore tacere, ac omnia intellectualiter intelligere. Intellectualiter autem tunc nos intelli-

gemus, cum à ſenſu ad mentem omnia traſferre, corporis paſſiones depellere, mentiſq́; contemplatione poterimus perfrui. Huius quidem methodi nobis opus eſt opera, quoniã Pythagorã, & Aegyptios imitatus Plato, aliter dicebat, aliter ſentiebat idẽ tamen ſemper ſapiebat. De animorũ aũt ĩmortalitate quid ſenſerit Plato, in animaſticis ſpeculationibus pluribus ſum proſecutus: nunc tantũ aduerſariorum obiecta radicitus euellã. Primum quidem facillime de medio tollitur; quandoquidẽ iudices illos alloquens Socrates, non poterat non uti diſiunctiua. Morte eum affici decreuerunt, quem maximo proſequebantur odio, quippe quæ poſtremum ſit hominis infortunium. Sed ipſos uoti compotes non effectos diſiunctiua illa oſtendebat Plato: nam uel aliquis mortuo ſupereſt ſenſus, uel nullus. Si primum admiſerint aduerſarij, tunc hinc ad tutiſſimum tranquillitatis portum ſe collaturum ſperabat. Si affirmauerint ſecundum, ex morte uiro, ſenio iam confecto nihil mali contingere poſſe conſtabat. Nec partem negatiuam illis uerbis tutatus eſt Plato, cum dicit: Ego quidem hinc abeo moriturus, uos uerò uicturi; utri uerò noſtrum in melius eant, ſoli Deo eſt certum. Ex his inquàm uerbis quod iſti contra Platonem quærebant, non ſunt nacti: quandoquidem reddere præmia bonis, & pœnis afficere malos ſolius

eſt Dei, qui nouit abſcondita cordis. Iudices enim ſe optimo iure condemnaſſe Socratem oſtendebāt vulgo: ipſe uerò uerba, geſtaq; ſua, & iudicum infallibili Dei iudicio committebat. Diuiſibilem autem animam rationalem accidentario quodam modo confeſſus eſt Plato, nempe non ſui, ſed potentiarū ratione; quæ tamen non ſunt loco, & ſubiecto diſiunctæ, ut iniuſtè quidem primo de Anima com. ſeptimo impoſuit ſibi Auerroes. Sed ideo rationalis eſt in cerebro, iraſcibilis in corde, concupiſcilis in hepate: quoniam (inquiebat Plotinus) iraſcibilis quidem, & concupiſcibilis ibi maxime proprias uirtutes oſtendunt: in cerebro autem eſt rationalis imaginatiuæ cauſa ſibi deſeruientis. Valeant igitur Carneades, Archeſilas, Zenocrates, Ammonius, Timon, Xenophanes, Cratinus, Ariſtophon, Hermippus, & quàplurimi alij, qui ea ſcripſerunt de Pythagora, & Platone, quæ nec unquàm ipſi ſomniarunt.

Quid ſit deſcenſus declaratur. Cap. III.

DE Aſcenſu igitur uerba facturus, in illius cognitionem ex oppoſiti deſcenſus ſpeculatione conſcendendum arbitratus, quæ de ſecundo animæ ſtatu nobis expli-

carint platonici, breuiſſima oratione perſtringam, quid ſit deſcenſus primum inueſtigaturus. Verba igitur illa Platonis in Phædro habita, in terram ſcilicet animas cadere, hunc in modum lib. de Animarum deſcenſu cap. primo interpretatus eſt Plotinus, ac ſi corpori ſe inſinuauerint animæ: unde deſcenſum dicamus nil aliud eſſe, quàm animarũ inſinuationem corpori: hæc enim ſunt uerba Plotini. Verum poſt hanc in diuinitatem quietem, in ratiocinationem ex mente delapſus, ambigo equidem quo nam pacto in præſentia quoque deſcendam, & quo mihi quandoque anima corpori ſe ipſam inſinuauerit. Hanc inſinuationem, & deſcenſum lib. de Occaſionibus applicationem nuncupauit Porphyrius. Inſinuare ſe corpori deſcendere dicitur à platonicis, quoniam cum non ſit corpus anima, nec corporea uirtus, ſibi locum mutare non conuenit, localiq; motu moueri. Inſinuat autem ſe corpori anima, & non ſit corporis qualitas ſicut animæ cętera: quoniam per ſe ipſam nobis apparet, quàmuis in corpore uiuat. Hinc hominẽ diuinæ admodũ in Alcibiade primo finiebat Plato, quod eſſet anima rationalis, mentis particeps, corpore utens. Hanc præceptoris ſui ſententiam, & Plotini expoſitionem lib. de Anima, & Dæmone hunc in modum declarabat Proclus, quandoquidem tãtum abeſt, ut Plato cum ſectatoribus

hoc

hoc aſſerens, à veritate diſſentiat: vt qui oppoſitum audeat affirmare, à iuſto ſeiungat quod eſt vtile, quæ tamen duo conatur coniungere Plato. Huius autem dicti hæc eſt cauſa: nam qui hominem ex anima, corporeq́; compoſitum aſſerunt, finem hominis hæc duo reſpicere ut fateantur, eſt neceſſarium. Licebit igitur vel etiam iniuſte vulnera cædeſq́; ſubterfugere, ne corpus quicquàm patiatur incōmodi, quod tamen iniuſtum eſſe deprehendimus. Verum qui finem hominis (inquiebat Proclus) in anima collocant, corpore nō egentem, hominemq́; ipſum putant animam vtentem corpore, hi certe iuſtum, atque vtile facile iudicant eſſe idem. Si quæreret autem quiſpiam cur homo ſit anima, & non compoſitum iſtud ex ipſa, & corpore: huic quidem haud eſt difficile ſatisfacere: nam cum anima à primo bono vt vnum, et ab intellectu primo quatenus eſt mens proficiſcatur, à ſe vero ſit vt mobilis: hinc erit ipſa motus cuiuſcunque principium, non corpus quidem viuificans, ſed eo vtens iam viuificato. Hinc tamen rationalem animam actum non eſſe corporis inferre minime liceat. Doctiſſimus autem ille Petrus Nicolaus Caſtellanius lib. de animorum immortalitate.2.cap.2. hanc de hominis conſtitutione Platonis arbitratur fuiſſe ſententiam: in homine ſcilicet animam duplicem reperiri, quarum vna ſit

rationalis in ipſo potiores, digniores'q; partes obtinens; ſenſitiua reliqua viribus iſtis prædita, cogitaria ſcilicet iraſcibili, atq; concupiſcibili. Rationalem (inquit iſte philoſophus) propterea ſubſtãtialem formam Plato nuncupauit: quoniam vna cũ anima ſenſitiua ſubſtantialiter vnita format hominem: aſſiſtit.n. intellectui illo patibili, quemadmodum à peripateticis intelligentia cœlo aſſiſtere prædicatur. Verum qui Platonis, platonicorumq; verba recte perpenderit, inferiores potentias non ſenſitiuæ animæ vires, ſed animę rationalis facultates affirmare cogetur: cum anima quęlibet, diuinam etiam incolens regionem, annexam habeat imaginationem: & anima velut pregnãs in deſcenſu inferiores facultates emittat. Sententiam igitur Plotini mihi proſequendam putaui, et ex Marſilij doctrina cæteris exponendã. Ex Plotini verbis lib. quid animal, & quid homo habitis id ſibi deſumet vnuſquiſque animam non eſſe quidem mixturam, nec iacentem formã, & licet ſit ſeparata, toti tamen adeſt corpori. Quò tendant hęc verba facile unuſquiſque perſpiciet, ſi cũ Marſilio dixerit hanc Plotini ſententiã tanquàm mediam ab Alexandro (quod tamen aliàs perſcrutabor) pluralitatem animarum: ab Auerroe autem earum diuinitatem deſumere. Triplici enim gradu formas reperimus eſſe diſtinctas: infimæ

nanque ſunt, ſupremæ, ac mediæ. Infimæ quidem ſunt naturales, quæ inſunt, & materiæ adſunt. Inſunt quidem, quoniam cum illa vnum faciunt, & patiuntur cum eadem: adſunt vero cum eam afficiant, in eamque non nihil efficiant. Huius autem oppoſitum de diuinis eſt dicendum ſecundum Marſilium. At quæ ſedem ſibi mediã vendicant, non inſunt, ſed adſunt materiæ. Non inſunt, ne cum materia patiantur, patiendo imperfectè regant, in hoc deficientes, vſque ad vitæ vigorem hanc ipſam formare non poſſint. Adſunt verò, quoniam naturali quadam prudentia, quodamq; affinitatis amore materiam fouent, fouendo viuificant, viuificando humanum tandem animal pariunt. Quare autem animæ noſtræ, licet diuinæ, adeſſe debeant corpori, lib. 17. theolog. cap. 3. ſatis aperte monſtrauit Marſilius: quandoquidem vltimum eſt rationalis anima veſtigium mentiũ, inter ſupremum & inferiorem mundũ locum occupans medium: quare ſi diuina debet contemplari, à corporis quoque regimine non eſt aliena. Hinc ex Plotino lib. Quid animal, & quid homo deducimus rationalem animam, licet in ſe viuat, corpus tamen viuificare. Si autem quęras quo nã modo hoc ipſa fungatur munere, lib. 1. de dubijs animæ cap. 20. hac negatiua reſponſione quæſitũ determinat, inquiens rationalem animam corpo-

ri non adeſſe ſicut in vaſe, non velut partem in toto, aut totũ in parte, non ſicut qualitatem in ſubiecto. Addit cap. 21 quòd non ſicut gubernator in naui eſt in corpore anima, nec ſicut ars in inſtrumento principali, non velut in loco. Reliquum eſt igitur vt animam duplicem vitã habere dicamus: prima quidem in ſe ſubſiſtit, eſt totum in ſe quoddam, à corpore liberata. Altera verò à prima deducitur, velut ipſius imago: hęc eſt pars compoſiti, hęc tandem ineſt corpori, & conſtituit animal. Si verò quęras quo nam modo ad hoc aſſerendum deducamur: lib. de dubijs animæ primo, cap. 22. et lib. 2. cap. 18. ſenſibili quodam exemplo declarat Plotinus. Sol enim lumen emittit, calefacit, & calorem, quæ tria recipiuntur in aëre: ſed inter lumen, & calorem hæc reperitur diuerſitas, nam lumen intimius eſt Soli, quod non fit aëris qualitas: remotior autem eſt calor, tanq̃ aëris qualitas. Anima quoque rationalis ſubſtantia eſt, & ſeparata vita, a qua viuificus, & ſubſtantialis quidam actus emanat, qui proprius non eſt corpori: hinc accidentalis quędam profluit qualitas, corpori accommodata. Anima quidem natura quædam eſt, & in ſe ſubſiſtens vita: actus ille viuificus ydolũ eſt animæ, ipſius imago eſt illa qualitas, atq; umbra. Vita illa prima ſeparabiliter pręſens eſt corpori, & eſt anima mente prædita, & ratione, quę

non adſunt corpori ipſum viuificantes, cũ in agendo cum ipſo non communicent. Senſus autem, & vegetalis facultas adſunt corpori, & ſunt corporis, modo tamen quodam accidentario, quoniam à corpore non ſuſtinentur, ſed cum egreditur anima, in priſtinum fontem recurrunt. Ex quibus quidem uerbis non ſolum propoſiti quæſiti habetur dilucidatio, animam ſcilicet rationalem per propriũ fœtum inſinuari corpori: ſed illud etiam conſtat cogitatricem animal viuificare, quod ipſa rationalis monet: hinc eam dixerat Plato tanquàm inſtrumento corpore vti, quæ tamen non eſt forma de materiæ gremio educta, ſed ab aſſentia noſtræ animæ originem ducens, in quam tandem recurrit.

Quam huius deſcenſus cauſam aſſignarint Platonici. Cap. V.

DEſcenſum nil aliud eſſe dicebant platonici, quàm inſinuationem quandam, et applicationem, qua ſe corpori inſinuabat, præſidebatque illi. Sed quæ ſit huius deſcenſus cauſa, non vna quidem cenſetur à platonicis. Plato quidem in Phędro hæc habuit verba. Si verò impotens aſſequendi non inſpexerit, & caſu aliquo vſa, repletaq; obliuione, & prauitate

grauatur, grauata autem pennas confregerit, in terramq; ceciderit: tunc prohibet lex hanc in prima generatione in aliquam brutalem ire naturã. Ex his profectò mihi depromo in terram cadere animam propter alarum confractionem: frangun tur alæ, quoniam obliuione, prauitateq; grauatur anima. Animarum quidem alæ ſunt intellectus, & voluntas, quarum beneficio in illo priori ſtatu vitam degebant fæliciſſimam, ſurſumq; eleuatæ diuinum, & primum bonum intellectu contemplabantur, ipſiq; vnica voluntate amoris vinculo cõiungebantur. Franguntur alæ obliuione, & prauitate: nam cum remiſſo intelligendi actu ille imaginationis intenditur, amore corporis, ſtatim tangitur anima, poſtpoſitaq; diuina pulchritudine hanc affectat ſenſibilem: hinc in obliuionẽ cadit, et prauitatis iam eſt indumento circũdata. Ex Platonis quoque doctrina in Timæo nobis expoſita, Plotini huius deſcenſus rationem adducere poſſumus: deſcendere ſcilicet animam, quoniam prægnans, vt partum emittat eſt neceſſarium. Prægnans quidẽ eſt anima, quia vniuerſalis exiſtens. & potentia naturali particularis, ad regimen particularis corporis tandem deſcendere debet. Nil aliud eſt partus iſte, quàm inferiorum potentiarũ emiſſio. Exiſtimauit autem Plotinus lib. octauo, En. quartæ, cap. 6. animas exiſtere non ſolum de-

bere, ſed earum quoque effectus in lucem prodire: nam ſi res aliter ſe haberet, ita quòd in habitu conquieſcerent omnia, cùm propter extremorum varietatem admiremur intrinſeca, & (vt inquit Plotinus lib. de animæ deſcenſu, cap. 5.) ſubſtantiæ qualitatem liceat coniectare per ea, quę inde admodum varia, pulcherrimaq́; proueniunt: animę quidem nos lateret excellentia. Huius tandem deſcenſus aliam poſſumus rationem aſſignare ex Platonis doctrina deſumptam. Nam cum ex diuidua, & indiuidua natura conſtet anima noſtra: nec cum Ariſtandro, & Numenio ex indiuidua vnitate, & dualitate diuidua: neque cum Seuero vt alterum geometricum ſubiectum ex indiuiduo puncto, & interuallo diuiduo ipſam Plato cõpoſuit. Sed, non inter mentem, et ſenſum mediam arbitratus, propterea ſic eam conſtitutam dixit, quòd tum intelligibilis, tũ ſenſibilis naturę ſit particeps. Hinc ſequitur profectò vt intellectu contempletur ſuperna, & ſenſu inferiorem incolat regionem. Et quoniã (inquiebat Marſilius, lib. theologię. 17. cap. 3.) vltima mentium exiſtit anima, & earum eſt aſcribenda numero, quæ Deum ſequũtur aliquando, & ab eodem quandoque recedunt: hinc duo illa ſimul exequi nequit, licet vtrunque agere debeat. Hinc tantem concludebat ibidem Marſilius, animas in cœleſti regione prius

vitam duxiſſe, ad hunc inferiorem deſcendiſſe, & ad priorem tandem redituram. Et hæ ſint platonicę huius deſcenſus rationis.

Quæ hanc veritatem videntur infringere, recenſentur, illaq; radicitus euelluntur.

Caput VI.

PLato in Timęo ex indiuidua, diuiduaq; natura conſtituens animam (ſi platonicorum ex poſitionē ſequamur) de anima mundana ibi primò habetur oratio: quę tādem verba cæteris applicantur. Cum igitur anima mundi cum duodecim ſequentibus, & animę quoque noſtræ eandem conſtitutionē ſortiātur: uel animæ noſtræ Deum ſemper ſequentur, ſicut & illę: vel vt ſuperiorum etiam alæ frangantur, ad inferiorem regionem deſcendant, emittantque partum, neceſſarium erit. Dubitationē iſtam prę uidens Plato, eam his verbis de medio abſtulit, in Timęo habitis. Hęc fatus, in ęodem rurſus cratere, in quo mundi totius animam permiſcens temperauerat, ſuperioris temperationis reliquias miſcendo perfudit modo quodā idem, non tamen perfectas ſimiliter, ſed etiam ſecundo, et tertio gradu à primis deficiētes. Sunt igitur aīæ triplici gradu diſtinctę: & quæ primas ſibi vendicant ſedes ea quidem mixtura ſunt compoſitæ, vt infinitudinem

excedat terminus, idem ſuperet diuerſum, & ſta tus motum. Huius oppoſitum eſt de his aſſerendũ, quę de materiæ gremio educuntur. In reliquis verò ſcilicet noſtris illa medio modo ſe habent. Cum igitur in animabus diuinis quæ illorum generum perfectionem afferunt, ſuperent ſemper reliqua: hinc illarũ alæ non franguntur, potentia non ſunt particulares, partum non debent emittere, nec huc tandem deſcendere. Cum autem quæ noſtram componunt animam, genera illa æqualem uim habeant, in vtrorunque munera vt exeat ipſa, eſt neceſſarium. Platonice igitur ſenſerũt illi, qui mo tricibus animabus non infinitam ſolum vitam, ſed illam etiam permanentem accommodant. Qui Dę mones, Heroëſq́; ſublimes vitam quidem infinitam habere dicunt, decurrentem tamen, ſed ordinate, defectus omnis, & obliuionis expertem. Qui tandem animas noſtras, licet vitam habeant infinitam, decurrere tamen inordinate aſſerunt, dum à meliori habitu labuntur in peiorem, viciſſimq́ue tum reminiſcendo, tum obliuiſcendo exiſtunt mutabiles.

An neceſſitate deſcendant animæ.
Caput VII.

PLotinus lib. de Animarum deſcenſu in corpora cap. quinto, electione, atque neceſſitate animas propterea deſcendere dixit, quod neceſſitas ſecum etiam habeat voluntarium. Electione quidem, quoniam ſponte ſenſibilem pulchritudinem affectant, ſponte deſcendunt ad corpora, velut ad bonum. Neceſſitate verò, quoniam ſancitum eſt à Deo ſtatutis temporibus animas ad ſortem ſibi decretam peruenire. Tria quidem ſunt, quæ ſe compati dicunt platonici, animã ſcilicet natura, electione, atque neceſſitate deſcendere. Verum ſi quæ à Plotino lib. de animarum deſcenſu cap. 5. dicuntur, examine diligenti perpenderimus: nullũ diſſidium, diſcrepantiam tandem nullam inter electionem deprehendemus, & neceſſitatem: quandoquidem neceſſitas illa non alarum confractionem præcedit, nec eſt etiam cauſa deſcenſus: ſed illa eſt poſterior. Hanc veritatem decimo de Rep. nobis expreſſerat Plato, inquiens. Non vos Dæmon ſortietur, ſed vos Dæmonem potius eligetis. Qui verò prior ſortem cæperit, prior eligat vitam, cui neceſſario inhærebit. Quapropter eligentis eſt culpa omnis, Deus

autem extra culpam. Præceptoris ſui ſententiam diuinè admodum lib. de doctrina Platonis cap. 29 interpretatus fuit Alcinous, inquiens omnia quidem in fato, non tamen ſub fato decreta: quod quidem non eſt reſpectu ſingularium, ſed vniuerſales tantũ leges præſcribit. Non.n.fatũ (inquiebat Alcinous) inſtar legis dicit, hic talia faciet, hic talia patietur: nã in infinitũ foret progreſſio, libertasq́; nulla reſtaret, & laudes, & vituperationes penitus tollerentur. Verum ſic fatum pronunciat. Quæcunque anima talem vitam elegerit, & huiuſmodi quædam commiſeritt conſequenter talia patietur. Libera ergo eſt anima, & in eius arbitrio, vel agere, vel non agere ponitur, neque hoc ab aliquo cogitur: quod autem actionem ſequitur, ab ipſo fato perficietur. Hunc etiam in modum Platonis verba lib. de Rep. habita interpretari debemus, cum inquit ſub fatalibus neceſſitatis Deæ, filiarumq́; eius parcarum reuolutionibus animas in corpora proficiſci. Si vero cauſam quæras, qua rationalem animã imperio fati non ſubiacere platonici dixerint: hanc quidem excipies à Plotino. Duo nanque conſiderantur in fato, principium ſcilicet fati, & quod complet fatum. Hoc quidem eſt corporalis cauſa: illud verò anima mundi, cæteręq́; ſequentes. Cum autem rationalis anima intellectualis ſit, & ipſa, ſicut illa mundi: tantum

igitur abeſt vt ſubiaceat fato, vt ſit potius illius principium, animalq́; ſibi ſubiectum à fato poſſit liberare In fato tamen erit, ſi principium, quo ſe ab illo ſeparat, negligens, corpori naturaliter patienti ſub fato, ſtuduerit indulgere. Hoc ita ſe habere in Timæo præmonſtrauerat Plato, inquiens animas tunc primum leges didiciſſe fatales, cum ſunt coniunctæ vehiculis, ex quibus fati trahuntur exordia. Eandem veritatem vnico verbo Zoroaſter expreſſerat, nos monens, ne fatum augere velimus: ac ſi dixerit ſecundum expoſitionē Plotini. Nil quidem aliud eſt homo, quàm ipſe rationalis animus, qui naturali iure præſidet animali fato ſubiecto. Cauendum eſt igitur ne forte ipſe efficiatur hoc animal: quod fiet ſi per conſumatū imaginationis, affectusq́; conſenſum viuens homo vnum fiat ex animo ſimul, & animali. Conſumatur autem iſte imaginationis, & affectus conſenſus, cum vtrunque imaginatur idem, atque ſimiliter, & ad idem ſimiliter afficitur. Tunc quidem auctum eſt fatum, quoniam non ſolum naturaliter ſibi ſubiecta complectitur: ſed & ad animam, quæ naturaliter ipſum ſuperat, ſe extendit. Innati autem cuiuſdam principij beneficio à neceſſitatis huius vinculis tunc ſe poterit liberare, cum animal hoc rationis legibus ſubiugauerat, quippe quę tunc aliud quidem ſe, aliud animal hoc eſſe cogno-

ſcat, ideoque fatum ad aliud pertinere. Cum igitur anima deorſum particulari præſidens corpori, expedita tamen (vt Iamblicus inquiebat) contemplatrice mente viuens, fati vinculis non alligetur, quippe quę tanquàm huius corporeæ vitæ rectrix, ab illo primo ſit procreata: hinc animæ mundanæ collegam exiſtentem hac eadem dignitate, ac libertate ipſam potiri, neceſſarium eſt vt fateamur. Sed vix actum intelligendi remiſit, vix ille imaginationis fuit intenſus, vix tandem amore corporis tacta fuit, cum fato funditus obruitur omni libertate priuata. Neceſſitas ergo nō fuit cauſa deſcenſus: ſed electione præcedente, animā ad ſortem ſibi decretam detrudit. Verum huius deſcenſus cauſa tunc erit nobis perſpecta, & cognita, cum & natura, & electione ipſam deſcendere poſſe patebit. Hac autem in re propterea contingit ambigere, quoniam ſi huc natura deſcendit anima, ui etiam aliqua electione ſecluſa, vt à diuinis recedat, eſt neceſſarium. Sed ex naturæ, electionis, & neceſſitatis recta diſpoſitione difficultas omnis de medio tollitur. Natura enim primum eſt deſcenſus principium; libere anima hanc, uel illam ſibi uitam delegit, ad quam tandem lege fatali detruditur. Quòd autem electio non deſcenſum, ſed hanc, vel illam reſpiciat vitam, in Phædro luce clarius expreſſerat Plato, animas deſcendentes in gradus

nouem iuxta cœleſtium animarum numerum diſtribuens. Clarius de ſecundo deſcenſu ſermonem inſtituens, hanc veritatẽ ſignificauerat, inquiens, Milleſimo anno ambę redeuntes, ſortem, & electionẽ ſecundæ vitæ ſuſcipiunt: deligit vnaquæq; eam vitam, quam velit: qua quidem ſibi delecta, reliquum eſt vt legi fatali obtemperet.

Quid cõmodi, vel incõmodi vtilitatis, vel erumnę ſecum ferat iſte deſcenſus. Cap. VIII.

PLotinus lib. de animarum deſcenſu cap. I. ex verbis Platonis plus ne cõmodi, uel incommodi ex deſcenſu ſibi nanciſcantur animæ, non facile nobis depromere poſſe putauit. Senſibile nanque totum vbique Plato contempſit, animæq; cum corpore comertium damnat, quippe quæ hic recludatur in carcere. Illud accedit quòd Empedocli aſſentiens, antrum, vel ſpeluncam ſeptimo de Rep. hoc vniuerſum exiſtimauit. In Phædro quoq; ex alarum fractione non leuem animis iacturam contingere dixit. Coniugium hoc malum putauit Porphyrius lib. de animalium abſtinentia, quoniam ex proprio trahatur ad aliena: diuortiũ vero malum, cum tunc reuertatur ad propria. Proclus quoque lib. de Anima, & Dęmone deſcenſum di-

xit & animam à diuinis ſeiungere, à quibus intel ligentia, poteſtate, atque puritate implebatur: et illam generationi, mortaliq; naturæ coniungere, à qua re caduca obliuione, errore, ac ignorantia tandem imbuitur. Concludebat tandem Porphyrius animã relictis diuinorum ſpeculationibus ad inferiora ſe conuertere, velut deprauatam terrã, quæ licet exceperit triticũ, reddit tñ loliũ. Ex alte ra verò parte de hoc vniuerſo in Timęo diſputans Plato, mundum hunc laudat inferiorem, & Deũ appellat beatum: ac ſi animarum deſcenſu colatur Deus, & mundus hic inferior dignus admiratione cenſeatur. Addebat doctiſſimus ille Marſilius libro theolog. 16. ex deſcenſu tantum vtilitatis ſibi contingere, ꝙ emiſſę denuo alæ robuſtæ fiunt adeò, vt in ſupernis diutius remaneant eleuatę. Huius quidem deſcenſus beneficio mundum ornari conſpiciemus, ſi cum platonicis, & Triſmegiſto vniuerſi partitionem in cœlum, & terram eſſe dixerimus. Cœlum quidẽ ſphęris pluribus fuit diſtinctum, quas animę diuinę incolunt, et ſpiritus, qui à Deo nunquàm recedunt. Hæ quidem omnes naturæ ſunt intellectuales, & illã partem ornant, ac ſi aurum gemmis, & illis quidem precioſiſſimis configuratum appareat. Terra verò quàmuis tota ad vnam accõmodetur animam: conſentaneum tamen eſt, vt eius aſtra ſint anima intelle-

ſtuali prædita, quæ ſunt humana corpora, omnem terræ ſplendorem continentia. De Terra quidem habetur oratio, quoniam hęc centrum eſt vniuerſi firma, & ſtabilis, ſtellaq; inferioris orbis à Pythagoreis nuncupata: quandoquidem ſi elementa modo quodam ſublimiori reperiuntur in cælo: cæleſtia quoq; pro inferiorũ capacitate illis adeſſe non eſt ambigendum. Præ omnibus autem elementis hoc idem in terra conſpicimus: nam ſi lumen in ea receptum ipſius ſoliditatis cauſa vlterius progredi nequit: cæleſtes quoque influxus plurimos in ea ſtabilem, ac firmam ſedem ſibi vendicaſſe fatendum arbitror, quod vſu, ac experientia experimur quotidie. Cum Plotino igitur lib. de animarum deſcenſu cap. primo concludamus, mundũ quidem inferiorem intellectualem eſſe debere, tum vt effectus agentis præſeferat exemplar, tum vt quot ſunt in intellectuali, tot ſint etiam in inferiori mundo animalium genera: quod cum platonicis lib. de mundano opificio confeſſus eſt ſapientiſſimus ille Philon. Verum cum vnius animę beneficio hoc effici poſſit: hinc (vt ibidem aſſerebat Plotinus) ipſa totius anima hanc ob cauſam à Deo infuſa eſt vniuerſo, & vniuſcuiuſque noſtrùm anima ſimiliter ad ipſam denique totius mundi perfectionem. Et ne ui aliqua huc animas impelli crediderit quiſpiã, vtriuſque mundi participes ipſas

procreauit

procreauit Deus. Cum tandem ultimum ſit ipſa diuinorum, & hæc in terris (ut inquit Mar. in com. ſuper Phædrum, cap. 23) noſtri corporis gubernatio ſit difficillima: hinc utrunque ſimul exequi nequit. Per uices igitur tum cœleſtem, tum uitam agit terrenam, intelligentiæ, ac imaginationis ſuæ circuitus menſuras reportans a Deo, certis temporum curriculis duraturas.

Ex animarum deſcenſu quo nam modo colatur Deus, explicatur. Cap. IX.

EX dictis quod quærimus facillime nanciſci poſſumus: quandoquidem ſi ſummum bonum rerũ eſt omnium parens, & effector, ipſaq́; conſeruat: & quatenus agens, rebus omnibus ſui characterem impreſſit: et quia conſeruans, ex Procli ſententia in libro de anima, & Dæmone licet eſſentiam intellectualem quàm longiſſime ſuperet, omnibus tamen iam inde à principio adeſt, illuſtrans ea, & exornans: hinc omnia diuini characteris ope, ac auxilio & in illum diuinæ ſapientiæ fontem retorquentur, & Deum laudant effectorem, illius oſtendunt ſapientiam, et prædicant bonitatem. Cum autem uniuerſi perfectionem abſoluat deſcendens anima, & inferioris

mundi aſtrum ſit homo intellectuali uirtute prædi-
tus, cæterarumq; dominus, & rex præſtantiſſimus:
cumq; & inferioris, & portionis ſuperioris ratione
tanquam riuulus in ipſius diuinitatis fontem recur
rat: Deum ſupremum non poterit non cognoſcere,
eum quibus poteſt laudibus non efferre, ipſiq; uni
quicquid perfectionis habet, & decoris acceptum
non referre. Tres quidem Deos in Aſclepio tex. 6.
Triſmegiſtus profitebatur: primus ab ipſo æterni-
tatis dominus nuncupatur: ſecundus eſt mundus,
prima primi Dei imago: tertius huomo, imago ſu-
premi Dei ſecunda. Hominis dignitatem expreſ-
ſerat in Pimandro tex. pri. inquiens. At pater in-
tellectus, uita exiſtens, hominem ſimilem ſibi pro-
creauit, atque ei tanquam filio ſuo congratulatus
eſt: pulcher enim erat, patriſq; ſui ferebat imagi-
nem. Deus enim re uera propria forma nimirum
delectatus opera eius omnia uſui conceſſit huma-
no. Et in Aſclepio tex. 6. hominem propterea par-
uum mundum appellauit, quòd totum ipſe ſuſci-
piat. Si autem quæras cur tot, tantaq; in hominem
contulerit Deus beneficia: ibidem reſpondet Tri-
ſmegiſtus, ut non ſolum mundus, ſed & homo ſibi
eſſet ornamento. Erit uero iſte paruus mundus or
namento effectori (inquiebat Mercurius) ſi ſe no-
uerit, & mundum; ſi meminerit quid partibus con
ueniat ſuis, quibus ſit utendum, quibus ſibi inſer-

uiendum recognoſcat, laudes, grateſq; maximas agens Deo, eius imaginem uenerans, non ignarus ſe etiam ſecundam eſſe imaginem Dei. Si homo igitur tunc Deo eſt ornamento, cum ſe, mundumq; nouit: diuine profectò in argumento lib. de Regno cũ Platone Philoſophatus eſt Mar. Deum aſſerens, & naturam agendo procreaſſe hominem, ut agat & ipſe, ut ex actione melius ſe quidem habeat, ut ſuperiora tandem pro uiribus imitetur, & prouide gubernet inferiora. Hanc ueritatem ex hominis finitione in Alcibiade primo a Platone tradita ſibi deprompſit Mar. Eſt enim homo anima rationalis, mentis particeps, corpore utens. Eſt quidem anima rationalis, cum in ſe ipſam circulo quodam ratiocinationis ſe ſe animaduertendo reflectatur. Eſt autem mentis particeps, quoniam uelut riuulus in fontem, in diuinam ſcilicet mentem ipſa refluit. Eſt uerò utens corpore, cum humanis negotijs gubernandis incumbit. Eandem ſententiam ſapientiſſimũ Philonem habuiſſe conſpicimus, quippe qui mundanum opificium diligentiſſime ſpeculatus, hominẽ ſecundam Dei imaginem propterea poſt huius mundialis machinæ procreationem à Deo in lucem editum, fuit arbitratus: quòd Deus optim. max. conuiuatoris inſtar, & illius, qui ludos edit, hominem ſibi familiariſſimum, et amiciſsimum non niſi prius inſtructo bene conuiuio, & parata concertatorum

copia, eum ad conuiuium, et ad ſpectacula inſpicienda uocaret: quorum alterum præſtat copia, ubertaſq; rerum ad fruendum paratarum, & uoluptatem: alterum rerum eſſentiæ, qualitates ſtupendæ, nec non motus, coboreæq; admiratione digniſſimæ, cæleſtiumq; tandem contemplatio: qua quidem perculſa mens, amorem, ac deſiderium ſcientiæ rerum huiuſmodi concipit, unde prognata eſt philoſophia, per quam homo, licet mortalis, immortalitatem adipiſcitur. Si ſe ipſum, & diuina cognoſcit homo, hæcq; inferiora prudenter adminiſtrat, & cum Mercurio in Pimandro tex. primo, opera Dei omnia uſui proprio conceſſa, contemplatus fuerit (ſi Mercurio in Aſclepio textu ſexto fides eſt adhibenda) ad id tandem deducetur, quòd rerum naturas cognoſcens, Deum non poterit non admirari, ſuſpicere, adorare, atque maximis laudibus efferre.

Quid utilitatis ex decenſu confluat animæ. Cap X.

EX alarum confractione huc animas deſcendere in Phædro dixerat Plato: hinc ut aſcendat, eaſdem emittere debet. Subinfert tunc Mar. deſcenſus cauſa firmiores, potentioreſq; animam alas emittere tum ratione intelle-

ctus, tum uoluntatis, tum exactioris ſapientię, tum ardentioris amoris reſpectu. Quæſitum autem iſtud lib. theolog. 16. licet pluribus proſequatur Marſi. quò tamen ſpectent omnia illius uerba pauciſſimis exponendum curaui. De Deo igitur, Angelis, et anima noſtra ſermonem inſtituens ille Marſi. inter hęc tria hunc ordinem ſtatuendũ putauit. Sit enim in primo loco Deus, qui ſicut non eſt in genere, genus quodcunque longiſſime ſuperans: nihil eſt etiã, cuius cognitionem ſubterfugiat infinitam, ſed omnia unico intuitu uidet. De reliquis uero duobus dicebat Mar. ea quidem per gradus quoſdam intelligere. Sicut enim in Sole unitus eſt radius, & cum recedit, & deſcendit gradatim fit multiplex, ita ut in Sole unam lucis proferat formã, multas in igne, plures in aere, & in terra quàm plurimas. Pari etiam ratione & radius ille diuinus in Deo quidẽ eſt unicus, & ſimpliciſſimus, a cæteris uero recipitur multiplex. In Deo enim eſt coniunctus, multiplicatus in remotis, maxime tandem in remotiſſimis, quemadmodum ſunt animæ noſtræ. Iſtius radij munus eſt mentibus ydeas inſerere: pauciores, ſed uniuerſaliores infra Deum inſerit primæ menti: plures ſecundæ, ac minus uniuerſales, & ſic gradatim deſcendendo accomodantur ydeæ, tot ſcilicet quot rerum ſunt ſpecies omnium. Illud etiam animaduerſione dignum cenſebat Mar. non pauciora

quidem supernã intelligentiã intelligere per paucio res ydeas, quàm intelligat per plures inferior: quoniam licet illę ſint pauciores, uniuerſaliores tamen exiſtunt. A' principio trimembrẽ Mar. partitionẽ adduxerat, videlicet in Deũ, Angelos, & animam noſtrã, inter quæ tria hunc ponit intelligẽdi modũ. Deus quidẽ ſolũ agit, quoniã recipit à nullo, et ſuę cognitionis fons eſt, & origo. Recipit à Deo Angelus, & agit, quoniã ex ſuſceptis ydeis, & ſpecierum inde pendentiũ cognitione quoſdã ſibi conceptus fabricat, quos tandẽ deriuat in ſingula. At anima noſtra cũ inter intellectualia infimũ locũ occupet, patitur tantũ, nihil agit, nihil noui molitur: & ydeæ, quas recipit, ſunt quidẽ uniuerſales, ſed nihil agit ipſa, quapropter ad diſtinctos ſingularium conceptus ydeas deducere non poterit: ſed a corpore ſeparata ex ydeis ſpecies ſolum educet, diuidet minime: quæ tamen in ſingula ſpecierũ diuiſio ſibi continget, ut coniuncta ſenſui. Impulſus enim omnes undique illatos anima per ſenſus exteriores diſcernit, eorum imagines ſibi fingit per phantaſiã, atq; ſeruat memoriter: quę cũ formis fuerit plena, ratio prouocatur, ſpecies uniuerſales parit, per quas intuitu ſimplici uniuerſales tandẽ concipit notiones. Et hic procedendi modus lineę rectæ cõparatur à philoſophis: reflectitur anima per actũ intelligendi in ſpeciẽ, per hanc in ſimulachrũ, huius tandem munere proſpicit indiuiduum.

Quomodo deſcenſus cauſa alam ſecundam animæ potentiorem emittat, declaratur: & quę de ala prima dicta fuerunt, corriguntur. Cap. XI.

BEATIOREM *animam ex deſcenſu reddi Mar. dixerat lib. 16. ſuæ theolog. cap. 4. quo quidem in loco ſimilitudine quadam propriã nobis ſententiam aperiebat. Sit enim aliquis (dicebat ipſe) hebetior ingenio, modo quodam ſtupidus, & rerum cauſas ignoret, bona tamen corporis habitudine præditus. Hic quanti ſit facienda illa corporis habitudo neſciet profecto: at ſi hunc in ægritudinem labi contingerit, & eam quidem moleſtam, & grauem: recuperata tandem ſanitate, eam totis uiribus ſibi conſeruare conabitur, reiectiſq; omnibus alijs in hanc tuendam oculos mentis conijciet. Anima igitur noſtra in ſupernis habitaculis mente uiuens, ab omni perturbatione ſemota, propria ſine impedimento actione fruebatur, ex qua maximam ſibi tranquillitatem nanciſcebatur. Sed cum alarum defectu terrenum corpus affectat, ad illud deſcendit, quod tandem ingreditur, ab equis huc atque illuc diſtracta (effrenatus enim eſt alter*

illorum) mundanis agitatur procellis. Hæc igitur incommoda paſſa, inſerto diuinitatis charactere ad ſupera redire cupit, ſe pro uiribus præparat, atque purgat, fit tandem uoti compoſ. Tunc omnia ſimul conferens, inter utrunque ſtatum diſcernens, toto amoris impetu priſtinum, quo beatur, amplectitur intelligibile, cui tunc quidem adhæret intentius, & fruitur dulcius. Hoc idem ſenſiſſe uidetur Porphy. inquiens animam hic ſæpius mala hæc expertam, omnino tandem hærere parenti. Verum ſi doctiſſimus iſte platonicus animam ideo beatiorem affirmauit in reditu fieri, quòd intentius parenti hæreat, à quo gaudium prouenit, & beatitudo: quare de ſapientia idem quoque non affirmauit, ſed ad nouam confugit ſingularium cognitionem, & illam quidem ignobilem? Singularium enim cognitio, quæ eſt in mundi anima, imperfectionem indicat, non autem clariorem rerum cognitionem oſtendit. Si enim anima mundi uniuerſales tantum notiones haberet, Deo quidem eſſet proximior, à quo tantũ differret, quoniã ex ſe Deus illas poſſideret, cum aliunde tamen animæ mundi radius ille diuinus proueniat. In ipſa etiam aliam deprehendimus cognitionem, quoniam anima eſt, non mens abſoluta: quo quidem in ſtatu uniuerſales illas notiones diſtribuit in ſingula. Inueſtigatione quoque dignum exiſtimarim, an ſingularis iſta co

gnitio, cuius munere in perfectiori gradu conſtituitur anima, ſit ſui, uel materialium, et inferiorũ. Si primum quidem admiſerimus, tunc a corpore ſeparatam, cum ſe ipſam perfectius contempletur, perfectiorem uitam fuiſſe conſecutam, neceſſarium erit confiteri. Sed ſi ſecundum conceſſerimus, uoti compotes nequimus effici: quandoquidem ſingularia primò non apprehendit anima. Non enim ut materialia, quoniam ſentiuntur: non ſpeciei ope, cum uniuerſalem ex illa nanciſcatur intellectus cõceptionem. Si autem confugiat ad contingentia, horum non eſt intellectio propria, nec eorum cognitione perficitur intellectus, cum hæc præſertim quæ noſtra eſt anima in illa mundi nobiliori modo comprehendat. Illud tãdem accedit, ꝙ ſi ex ignorantia perfectiorem ſcientiam depromere non poſſumus: nec etiam ex obliuione perſpicacior conſurgere poterit. Hunc igitur in modum arbitror eſſe dicendum, ꝙ ſi quis à ſplendidiſſima luce ad tenebras auerterit oculos, aſpectus acies imminuitur, & hebetatur cum ad lucem reuertitur denuo: ſed confirmatus, ardentius lucem intuetur fulgentiſſimam. Anima quoque noſtra poſteaquàm à diuinorũ contemplatione ad terrenorum affectum deſcendit, ad illa ſe rurſus erigens inſpicienda, prima fronte fulgorem ſuſtinere nequit: aliquandiu tamen aſſueta, tanto lucis illius inſpiciendæ tenetur deſiderio, ut effica-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cius,inſpiciensq́; ardentius, longius inualeſcat: nec aliam ob cauſam id ſibi contingit,quàm ex priuatione hunc appetitum ingeréte.Hæc autem lib. de animarum deſcéſu cap.7.nobis expreſſit Plotinus, inquiens animam ex his,quæ hic eſt paſſa, cognoſcere quàm beata ſit apud ſuperos habitatio: & contrariorum cõparatione planius meliora percipere. Cognitio enim boni perſpicacior prouenit experientia mali.Sentẽtiam iſtam ex Platone ſeptimo de Rep. Plotinum ſibi deſumpſiſſe conſtat: nam duplicem hunc animæ ſtatum cõparans Plato dicebat. Quid ſi habitationem priſtinam memoria repetat,& illorum hominum ſapientiam,atq; uincula? An nõ cẽſes eũ beatũ ſe loci mutatione exiſtimaturũ, illos autem miſeraturũ? Quę aũt iam inde à principio de impedimentis dicta fuere, facile admodũ intelligemus,ſi quæ lib.de animarũ deſcenſu cap.2. nobis explicauit Plotinus,recte perpenderimus. Anima enim in duplici reperitur diſcrimine: quædam magis,& quædã minus corpori ſe immergit. Si autem anima ſe ita inſinuauerit corpori, ut uitã, quæ ſibi conuenit,largiatur: ipſi profectò nihil metuendũ accidere poteſt: nam animus in ſe permanet,& aliquid poſſidet extra corpus, nec paſſionibus eſt ſubiectus: non impeditur, quin mente uiuere poſſit, & occupatione nulla detineatur, ad inferiora declinante, cuius culpa a ſublimi, beataque

contemplatione detrudatur: & corpus regit nulla ſibi profecto operatione accedente operoſa. Sed ſi ita ſe inſinuauerit corpori, vt non corpus ſit animæ, ſed anima corporis; tunc equidem libidinibus & voluptatibus obruetur, tunc diuinorum inſpectione priuabitur. Id tamen deſcenſus ſibi affert impedimenti, quòd cum corpus ingreditur, hebes efficitur, relicta tantum quadam diuinitatis formula, cuius ope redeat ad diuina: quem etiam radium nunc aliter ipſa poſſidet, quàm prius, cum ſenſibus in alium diſtrahatur cognoſcendi modum. Vtrunque ſermone primo maximus ille Tyrius expreſſerat, inquiens a nobis Deum mente concipi: ſed ſi intellectus ſe ipſum a ſenſibus permiſerit diſtrahi, plebeius factus, plebiſq; moribus aſſuetus, nihil alind arbitrabitur eſſe, præterquàm quod videri, audiri, olfieri, guſtari, tangiq; poſſit. Deteſtatur igitur Plato cõnubium iſtud, ſi corpori ſe totus immerſerit animus. Mundum laudat, & Deum prædicat bonum, quoniam ſunt omnes mundi partes intellectuales, cuius inferioris anima retinet aliquid extra corpus, cuius auxilio (ut etiam in Aſclepio tex. 3. dicebat Mercurius) tranſit in naturam diuinam. Detinetur quidem in corpore velut in carcere, quoniam nequit ad ſupera conuolare: probibet tamen nihil, quin dum ſe inſinuat corpori, mortem meditetur, & mente ſupra cæ-

los conſcendat. Nec detinetur a multiplici uita, quam elargitur corpori: nam illæ facultates ab intellectu proueniunt ipſo non mutationem paſſo. Cũ etiam ab aliquo ex platonicis animam varie veſtiri audiamus in hoc deſcenſu, illamq; peruagari circa rerum imagines: hoc inquàm de cognitione illa tantum interpretabimur, quæ ſenſus adminiculo nobis accedit, quæ a Platonicis reminiſcentia nuncupatur, quæúe gradatim ordine naturæ ab imperfecto procedit ad perfectum. Plurima ſunt, quæ de animarum deſcenſu loquentes Platonici, diſſerunt: ſed hæc pauca tetigiſſe ſufficiat, aſcenſus cognitioni conferentia: reliqua enim in animaſticis ſpeculationibus oratione proſequar longiori.

STEPHANI CONVENTII BONONIENSIS

DE ASCENSV MENTIS IN DEVM

Liber Secundus.

In quo De ipſius oppoſito Peripatetica explicatur ſententia

An mentis aſcenſum, reliquosq; animæ ſtatus cognouerit Ariſtoteles explicatur. Cap. I.

ANIMARVM *aſcenſui deſcenſum opponi, illũq; præcedere ex Ariſt: quoq; ſententia iam inde ab opuſculi huius principio dixeram. De deſcenſu autem ex Platonis, Platonicorumq; doctrina huc vſque facta eſt mentio: reliquum eſt in præſenti, vt quid de hac re ſit peripatetice ſentiendum, pro uiribus explicetur. Peripatetici igitur plurimi, qui ex ſenſatis tantum rerum cauſas inueſtigant, ex illisq; ſcientiam ſibi depromunt: animam in corpore ſolum conſiderantes triplicem de*

ipſa opinionem habuerunt. Aliqui enim eam corpori adeo exiſtimarunt concretam, ut ex illius materiæ decerpta gremio, initium eſſendi fuerit nacta. Nonnulli autem licet immortalem, & finem non habituram predicarint, per creationem tamen ipſam incepiſſe dixerunt: & hi quidem quartum animæ ſtatum concedentes, in tertio ipſam contemplantur, hoc unum tantum pertinens ad ſecundum inueſtigantes, in ſpiritualis natura corpori poſſit uniri ut forma. Reliqui verò vnicam ponunt animã intellectualem orbi humano præſidentem, de hominis ſtatu tertio ſermonem habentes, de ſecundo id ſolum profitentes, intellectum ſcilicet vnicum medijs cogitatis obiectis hominibus ſingulis applicari. Ego autem omnes quatuor animæ ſtatus tum ex Simplicij ſententia, tum ex ipſiuſmet Ariſtotelis: uerbis mihi deprompſi. Simplicius enim tertio de Anima par. prima intellectum, quem poſſibilem nuncupat Ariſt: a ſe ipſo dicit progreſſum: qui tamen anteaquàm progrederetur, in eo erat ſtatu, ad quem ſe ultimo recipere poteſt. Quòd autem cum modernis quibuſdam hunc intellectum propterea progreſſum interpretari non poſſimus, quòd ſit in futurum perficiendus: ibidem ipſe nos monuit dicens. Intellectus cũ ſubingreditur corpus, hebes efficitur, & imperficitur quantum ad ſubſtantiã, & quantum ad intellectionem: qui corpus iam

ſubingreſſus paulatim perficitur. Eſt enim omnino progreſſus à principio, cuius rei cauſa tertio de anima contex.3. impaſſibilis dicitur ab Ariſt. quippe qui licet recipiendi vim habeat, adhuc tamen ſit nihil conſecutus. Partim eſt deinde progreſſus, cum factus ſingula (inquiebat Ariſtot. tex. 8.) per ſe ipſum poteſt operari: eſt tamen & adhuc in potentia, licet non ſicut ante addiſcere, ac intelligere. Ad priſtinum tandem ſe ſtatum recipit, cum iuxta id, quod intelligi debet, fuerit ſtatus. Tertio etiam de anima par. 14. inquiebat Simplicius, rationalem animam, quę ad id, quod extra, labitur, adeò à propria, ſuaq; ſubſtantia remoueri, vt in ſubſtantiam, & imperitiam tum ſui ipſius, tum omnis formalis ſubſtantiæ deferatur. Et paucis interpoſitis. Anima tum à ſe ipſa, tum à propria ſubſtantia procul abeſt. In quam ſentẽtiam Platonem etiam deſcendiſſe fatetur, tertio de anima par. prima. Sed quid plura? in probemio lib. de anima hæc in medium adduxerat verba, anteaquàm ſcilicet accedamus ad corpora, nos eſſe. Ex ijs igitur facile colligere poſſumus animã iam multo ante corpori præextitiſſe, ipſam progredi, iam corpus ſubingreſſam eſſe: vnde ſequitur ipſam eſſe immortalem.

Propriam quoque ſententiam ſatis cõmode præmonſtrauit Ariſt. cum. 2. de anima tex. 2. dixerit, ex dictis adhuc nõ conſtare an ſit actus corporis aïa,

ſicut nauta nauis. Ex eodem Ariſt: huius rationem aßignat Simplicius: adumbrate nanque, figuraliter & confuſe determinatum eſt de anima, ſingula ſigillatim adhuc non perpendit Ariſt. Sed cum inferius corporeum organum in intellectus functione non commiſceri conſtiterit luce clarius; hinc ſibi deſumet vnuſquiſque inſtar nautæ actum corporis rationalem animam eſſe. Diuine quidem in probemio lib: de Anima mentem Ariſt: breuißima oratione perſtrinxit Simplicius: quandoquidem duplex eſt actus, vnus quidem iuxta quem eſt nauis: alter uerò ut nauta. Primo itaque (inquit Simplicius) omnibus mortalium animalium animis formalem cauſam Ariſt: tribuit; quæ duplex eſt. Deinde uero & unamquãque pertractans ſimul quidem earum diuerſitates tradit, ſimulq́;, & quod communiter omnibus ineſt, ſigillatim contemplatur. Atq; alias quidem ad id, quod inſtrumentarium eſt, vergere: alias uerò magis propè id, quod vtatur, ſtare dixit; omnemq́; animam inſtrumentarij corporis actum eſſe aſſerit, licet haud omnem iuxta oẽm ſuiipſius vim intelligat. Quid verbis iſtis voluerit ſibi Simplicius enucleauerat ſuperius: quandoquidem id conuenit cuilibet animæ actum eſſe; non tamen tanquam corporum, ſed tanquam inſtrumentorum viuacium: cum natura ſit ea, quæ tanquàm corporum formalis ſit cauſa: non anima, quæ tanquàm

uiuax inſtrumentum effingit. Ex animabus tamen (inquiebat Simplicius) aliæ quidem magis ad id, quod inſtrumentarium eſt, uergebant, vt uegetatiua, et ſenſitiua: alteram uerò magis iuxta id, quòd utatur, ſtare uidet: quemadmodum eſt intellectiua. Si autem res ita ſe habet, quatuor illos animæ ſtatus non poſſumus non conſpicere. Verum in libro de miſtica philoſophia inſcripto loca quædam legun tur, ex quibus à præceptore Platone Ariſt. hac in re non diſcrepaſſe nobis apparet. Primum quidem animæ ſtatum Ariſt. cognouiſſe conſtat, cum lib. 2. theologiæ cap. 2. in mundo intellectiuo animam nō moueri oſtendit, ibique melius ſe habere fatetur. Lib. 7. cap. 6. & 8 adhuc in infimo operari præmon ſtrat. Et lib. 9. cap. 2. ad intellectionem promouentis opera non indigere uoluit: ibique exiſtens cap. 4. eadē potentia, aliter tamen uti; Et lib. 14. cap. 3. ui ſentiendi quadam potiri aſſeuerauit. Secundū profectò tunc Ariſt. explanaſſe comperio, cum lib. primo cap. 5. & lib. 7. cap. primo, cur ad inferiorem mundum deſcenderit hæc anima cauſam aſſignarit. Hos tandem duos animæ ſtatus lib. de Generatione animalium ſecundo, cap. 3. breuiſſimis iſtis uerbis ſignificauit, cum ſolam mentem extrinſecus accedere profeſſus eſt: quæ quidem uerba lib. de animorū immortalitate perpendentur. Tertium autem ſtatum lib. 3. miſticæ philoſophię cap. 7. aperuit, cū ra-

tionalem animam corporis actum dicit eſſe ſeparabilem,eamq; in corpore uiriū ratione prædicat eſſe diuiſibilem . De quarto tandem mentionem habuit Ariſt.quippe qui libro pri.theolog.cap.3 .& 4.lib. 2.cap.7.8.9.& 10,& lib.3 .cap.7.eam pluribus ex cauſis immortalem oſtendit .

Fidem iam dictis adhibendam eſſe , oſtenditur. Cap. II.

AB explicata peripatetica ueritate propterea quis poſſet recedere , ꝙ cogitatiuas tantū admittens ſcientias , Ariſt. Theologum eſſe , uel miſtice philoſophatum fuiſſe non concedat . Ego autem non ſolum Simplicij doctrina fretus,ſed aliorū etiam auctoritate,rationibuſq; munitus, fidem iam dictis adhibendam eſſe ſemper exiſtimarim . Diuus enim Thomas eo in libro , in quo impiam , & chimericam Auerrois de intellectus unitate ſententiam conabatur euertere , librū hunc de miſtica philoſophia non ſolum ſe uidiſſe dicit translatum, ſed græco quoque charactere ſcriptum, quem poſtnaturalis facultatis cōplemētum arbitratur, cuius ſcientię. 12. libro, & ſecundo de auditu phyſico ipſum pollicitus eſt Ariſtoteles. Dicebat quoque Laërtius de Ariſto. uita ſermonem

habens, ipſum quidem librum edidiſſe, in quo miſticam Aegyptiorum philoſophiam recenſeret, in græciam delatam à Pythagora. Librum iſtũ de Ariſt. Theologia, uel de miſtica philoſophia inſcriptum ad Auerrois manus non perueniſſe crediderim, licet eum ex græca in arabicam linguam uerterit Abenamas Saracenus. Libro tamẽ deſtructionum diſp. 3. in ſol. 28. dubij de medijs, & inſtrumentis, quorum ordine uniuerſum productum cum Algazele fatebatur Auerroes, hæc quidem nõ dixiſſe Ariſt. aſſeruit: ea tamen omnia ex peripateticorum radice nos monuit poſſe depromi. Hæc igitur licet non dixerit Ariſt. ex eius tamen doctrina ſunt deſumpta: unde dicenda fore, necaſſarium eſt ut fateamur. Si autem res ita ſe habet, nonne tunc optimo iure cum eodem Auerroe in libello de cõtinuatione intellectus abſtracti cum homine, principẽ dicemus Ariſt. quo ſapientes poſt eum perficientur omnes? Nonne cum eodem in prohemio de auditu phyſico Ariſt. diuinum, potiusquàm humanum ad ſydera uſque laudibus efferemus, quippe qui tres illas artes inuenerit, & compleuerit? Inuenerit quidem (inquiebat ibidem Auerroes) cum quicquid in his artibus antiqui ſcripſerint, nec ſit pars, uel ambiguitas, tantum abeſt ut ſit earum principium. Compleuerit autem, quoniam nec quicquam addi poſſit, nec in ipſius uerbis error alicuius momenti depre-

hendatur. Nonne tandem tunc & ueritatis ductu, & Auerrois teſtimonio lib. Deſt. diſp. 3. in ſol. 13. dubij intellectum Ariſt. finem intellectus humani appellare poterimus, nobisq́; fateri diuina miſeratione cõceſſum, ne quæ percipi poſſunt, nos lateant: ſi ea quæ intellectum humanum nõ fugere debent, ille Ariſt. deprehenderit, & nobis omnibus enucleauerit? Verbum aliud ab ipſomet Auerroe prolatum, conſideratione dignum ſemper exiſtimaui: ipſe nanque diſpu 3. in ſol. 28. dubij rei difficultate quaſi perterritus, & forte rei ueritatem percepturum diffidens, inquiebat. Vnde ſi id, quod declaratum eſt, ſufficit, bene quidem: ſin autem, ad ſpirationem diuinam nos reducamur. Speculationem igitur aliam admittit Auerroes cœlitus demiſſam, quam probitate, & inferioris belli compoſitione acquirimus, quam'ue in primis uerbis Pimandri ſignificauit Triſmegiſtus, & per aſcenſum illum mentis declarant Platonici. Duo etiam ſunt præcipua, quæ in cogitatiuis ſcientijs nobis pollicitus fuit Ariſt. Tertio enim de anima 36. contextu uertebatur in dubium, vtrum contingeret aliqua ſeparatorum intelligere ipſum non exiſtentem ſeparatum à magnitudine, aut non. Satis quæſito huic his uerbis fecerat Ariſto. Conſiderandum poſterius. Diuinorum quoque. 12. lib. 16. contextu inter agentem, & cauſam formalem hoc dixe-

rat reperiri diſcrimen, quoniam rem effectam præcedit agens, ſimul autem eſt cum ipſa ratio, ſeu forma. Verum an inter formas ſit aliqua diſcrepantia, an'ue eundem omnes ſortiantur exitum, poſterius de hoc ſe perſcrutaturum pollicebatur. Verum ſi Ariſto. ſcripta examine diligenti perpenderimus, nullum inueniemus locum, in quo has nobis Ariſto. difficultates enodauerit. Quanuis enim ſecundo primæ philoſophiæ libro contex. primo inſtar noctuæ nos manifeſtiſſima in natura dixerit contemplari; & nono met. tex. ultimo eorum ratione nos cæcos eſſe negauerit: quod tamen 3. de anima pollicitus fuerat, non eſt executus. Verba enim illa. 2. met. habita de uniuerſalibus excerptis a ſingularibus interpretati ſunt quidam; quæ ſi etiam referantur ad diuina, hoc ſine forti ratione dixiſſe uidetur; quandoquidem ſi quæ ſunt materialia immaterialiter concipit, immaterialia igitur facilius apprehendet. Exilis quoque, ac ieiuna fuit illa ſpeculatio hac de re nono met. habita, Ariſtotelica diligentia minime digna. De altero etiam quæſito, 12. diuinorum propoſito ne uerbum quidem poſt illam facultatem Ariſtote. habuiſſe deprehendimus. Nec primam philoſophiam imperfectam aſſerere debes, cum entia quælibet ad primum uniuerſi ducem perduxerit. Dicendum igitur cum Zim.

multa eſſe quæſita, quorum contemplatio ad ſcientias ſpeculatiuas non pertinet : ſed (vt dixerat Auerroes) unius ſpirationis diuinæ beneficio nobis accedit. Vel (quemadmodum. 10 Eth. cap. 10. fatetur Ariſt.) cum non amplius contemplantes ſenſuum utimur munere : cum non amplius dicimus intelligere eſſe ſicut ſentire : ſed mente uiuimus, illiusq; nos diuinitati committimus. Vnde ſi Plato epiſtola. 2. ſe ſua literis non mandaſſe, ſed illa tantum Socratis ſcripſiſſe fatetur : Ariſto. etiam hoc in libro literis aureis digno non quæ naturali diſcurſu eſt aſſecutus, ſcribit : ſed quæ religione, moribusq; ſanctiſſimis medijs diuini luminis beneficio deprehenderunt Ægyptij, ſe nobis oſtenſurum pollicetur.

Quo nam modo Deſcenſum Peripatetice poſſimus finire. *Cap. III.*

PERIPATETICORVM *princeps Ariſt. licet in lib. miſticæ philoſophiæ per modum hiſtoriæ Ægyptiorum ſententias referre uideatur : illa tamen omnia à ueritate non diſſentire putauit, quæ rationibus quoque nititur comprobare. De deſcenſu autem orationem inſtituens*

libro primo cap. 2. ipſum omnibus his modis definiſſe uidemus. Eſt enim deſcenſus animæ iunctio huic diſſolubili corpori. Eſt etiam deſcenſus intellectus in animam tranſitus. Eſt tandem deſcenſus deſiderium quoddam ad hæc inferiora conceptum. Deſcenſum autem propterea motu locali noluit ibidem circumſcribendum, quoniam ſubſtantia nulla intellectualis quicquàm motus admittit. Tres illæ deſcenſus finitiones ordine nobis notiori fuerunt diſpoſitæ, cum illa tamen præcedat cæteras, qua conceptum ad inferiora deſiderium dicebatur eſſe deſcenſum. Hęc quidem huius deſcenſus cauſam deſcribit, quam inferius ex Ariſt. uerbis explicabo. Illa uerò ſecundo loco eſt ſituanda, qua intellectus in animam tranſitum Ariſt. dixit eſſe deſcenſum. Ex hac autem deſcenſus finitione quid erumnæ, uel incommodi patiatur anima, liquet: fatetur enim cum platonicis Ariſt. animã in mundo intellectuali degentem digniori nomine, intellectuali ſcilicet nuncupandam, quippe quæ in inferiorem mundum & ipſa influens, uniuerſalis non iniuria dici poſſit. Sed deſcendens, eius poteſtas limitatur, ex uniuerſali fit particularis, ex intellectuali, uniuerſaliq; contemplatione tranſit in animam, particulari corpori præſidentem. Hinc ſequitur tertia deſcenſus finitio, quæ illius terminum explicat, cum anima neceſſario referatur ad corpus,

cuius eſt actus; iungitur corpori diſſolubili. Si ergo deſcenſus finitionem ex nobis manifeſtis uenari uoluerimus, hunc quidem nil aliud eſſe dicemus, quàm naturæ rationalis corpori diſſolubili iunctionem. Inueſtigabant Platonici quo nam modo corpori huic ſe inſinuet anima: ad id tandem deuenerunt aſſerendum non eſſe in corpore ſicut in loco, in uaſe, & non ſicut nautam in naui: ſed cuiuſdam uitæ beneficio ab ipſa exortæ corpori prędere. Ariſto. etiam lib. 2. miſticæ philoſophiæ cap. 10. animam in corpore noluit eſſe ſicut in organo, uel in loco. Modum autem nobis oſtendit, cum lib. 3. cap. 6. actum quidem ipſam appellat, ſed cap. 7. eum nuncupat ſeparabilem. Actus quidem eſt anima corporis, phyſici, organici, potentia uitam habentis. Sed in quos errores leuis cuiuſdam cõſiderationis culpa lapſi fuerint latini, ex huius finitionis declaratione ibi ab eodem Ariſto. tradita, facillime licet conſpicere. Nulla enim alia ratione rationalis aĩa corporis actus dicitur, quàm quòd nõ ſit materiæ forma, alioquin nõ animæ, ſed formæ, uel naturę nomine digna eſſet cenſenda. Eſt deinde actus corporis, non quatenus corpus tantum, non quia ipſius ſubſtantia corpus iſtud terrenum uiuificet: ſed quatenus corpus iſtud iam uiuificatum eſt organicum, ita ut ſit membris illis omnibus pręditum, ad exercenda opera uitę idoneis.

Ac ſi dixerit Ariſt: cum Simplicio rationalem animam non corpus, & illius organa afficere forma, ſed illis vti forma iam affectis. Huius rei rationem aſſignat ibidem Ariſt: nam actus eſt duplex, ſeparabilis unus, ſicut ille nautæ ſeparatur a naui: inſeparabilis alter. Primus animæ rationali debetur, cæteris vero ſecundus. Vnde autem hanc actus diſtinctionem ſibi deprompſerit Ariſt. oſtendit: nam vnus eſt materiæ ſuæ perfectio, ſicut caliditas ignis, per quam exiſtit; alter vero vt faber domus propriam perfectionem tribuit. Rationalis autem anima non eſt corporis, vt corpus eſt, perfectio, alioquin eſſet diuiſibilis: unde cap.7. deducebat Ariſt. animam actum eſſe ſeparabilem. Diuine igitur, & quidem peripatetice philoſophatus eſt Simplicius, qui in prohemio lib. de Anima cum Ariſt. 2. de anima quamlibet animam eſſe corporis fatetur inſtrumentarij. Verum ſi vniuſcuiuſque animæ naturam ex operationibus proprijs, modoq́ agendi perſpexerimus, diuerſitatem hanc inter animas deprehendemus: nam alia magis ad id (vt ipſius verbis vtar) quod inſtrumentarium eſt, vergit: alia vero magis ſtat propè id, quod vtatur. Hanc veritatem Simplicij commentum quoddam affirmare non poſſumus: quandoquidē Ariſt. verba. 2. de Anima. 2. contextu habita ipſe diligentiſſime perpendit. Ibi enim propterea communem illam animæ finitionem,

quæ formalem cauſam explicabat, figuraliter latam, & craſſa(vt aiunt) minerua rem ipſam nobis depinxiſſe putauit Ariſtot. quòd adhuc non ſit perſpectum, & cognitum an anima quælibet inſeparabilis ſit a corpore, vel quædam apta ſeparari. Dubitandi autem hinc locus conceditur, quoniam inferiores quidem non ſeparabiles eſſe conſtat: de intellectu autem eſt dubium, qui animæ tamen videtur genus alterum, & hoc ſolum contingere ſeparari, ſicut perpetuum a corruptibili. Sed rem ita ſe habere de intellectu. 3. de Anima declarauit contex. 4. inquiens, cum omnia intelligat, fiatq; ſingula, immixtum eſſe. Cum tex. 6. hunc mixtum corpori negat: & tex. 7. à ſenſu ſeparatum. Cum 20. tandem contex. hunc ſolum præ ſenſu prædicat immortalē, & perpetuum. Hæc inquàm examine diligēti perpendens ibidē Simplicius hæc aurea, peripateticaq; protulit verba. Viuax ſcilicet inſtrumentum effingi aut animæ beneficio, aut animæ parte, aut non ſine anima. Hinc colligant peripatetici animam, quæ ſit inſeparabilis, ipſam viuax inſtrumentum effingere; eam vero ſeparabilem vel per ipſius partē, vel non ſine ipſa id exequi. Hinc tandē inter peripateticā diſciplinā, & Platonicā concordiā hanc tibi deſumas, non ipſam quidem aīam rationalē uiuax inſtrumentum effingere, diſſolubiliq; corpori iungi: ſed partis ipſius inferioris, illius. ſ. ſenſibilis munere.

Diſſidium quoddam inter Ariſt. & Plotinum recenſetur, illudq; componitur pro viribus. Caput IIII.

ARISTOTELES *ſecundo de Anima.2.contex.actum ſeparabilem nautæ comparauit: quod etiam lib.Theolog.3, cap.6.dixiſſe conſpeximus. Verum Plotinus lib. de Animæ dubijs primo, poſteaquàm cap.20.animam in corpore nō eſſe oſtendit ſicut in loco, in vaſe; velut partem in toto, vel totum in parte, nec vt qualitatem in ſubiecto: cap. 21. an anima corpori adſit ſicut naui nauta, inueſtigandum proponit. Huius autem quæſiti dilucidatio his verbis abſoluitur: nam exemplum illud ſatis eſt quidem accommodatum, ſi eam in animæ facultatem oculos coniecerimus, per quam ualet à corpore ſeparari. Verum cum modum nunc inueſtigemus, quo uniatur anima corpori, mens autem, & ratio non uniantur, in agendo cum corpore non communicantes, hęc autem inferior ſit per totum corpus diffuſa, quod de nauta minime dici poteſt: hinc colligebat Plotinus exemplum illud de nauis gubernatore modum huius vnionis non exponere optatiſſimum. Hanc igitur cap.22. aptiorem dixit*

eſſe ſimilitudinem, adeſſe ſcilicet animam corpori ſicut lumen aëri. Sicut enim lumen per totum præſens nulli miſcetur, & manet ſemper ipſum: & ſicut aër transfluit, & quando extra illud fit, in quo eſt lumen, abit protinus nihil retinens; quandiu verò eſt ſub lumine illuſtratur, vnde non in aëre lumen, ſed eſt in lumine aër. Pari etiam ratione mundi generationem explicans nobis Plato corpus in anima collocauit, quæ per totũ diffuſa, ipſi non mixta, ſeparabiliter adeſt. Verum ſi Simplicij, Philoponiq; interpretationem conſiderauerit quiſpiam, non ſolum exemplum illud accommodatum perſpiciet: ſed illud etiam abundantiori quadã ratione Ariſt. deprehendet colligere, quod per lumen Plotinus ſignificare contendit. Si enim præter hominem nautam actum etiam illum conſideraſſet Ariſt. iuxta quem eſt nauis: tunc profectò accidentario quodã modo ipſi adeſſet gubernator, non per totam nauim diffuſus, quod lumini quoque contingit, eſſe propriũ aëri non elargienti. Sed actum illum ſpeculari debemus, quo nauta, ut talis a naui non ſeparatur, propria tamen functione cum naui non communicans: quo quidem actu per totam nauim diffunditur, cum nihil ſit nauis, quod nautæ non ſe præbeat inſtrumentarium. Accommodatum etiam magis exemplum Ariſt. eſſe crediderim: nam recedente mente, recedit & anima hæc inferior, vel pars animæ: non

tamen remanet actu anima, ſed recurrit in fontem, corpus, ſi amplius deſcenderit anima, rurſus formatura: Nauta quoque ſi ſeparetur a naui, nauta tantum eſt potentia. Ex Ariſt. etiam exemplo animæ rationalis immortalitatem nobis depromere poſſumus: nam Plato in Phædone rationalem animam præter cæteras rationes ideo credidit immortalem, quòd corpori dominetur, ipſiq; repugnet: atqui dominium iſtud, & repugnantiam inter lumen non conſpicimus, & aërem: quæ tamen omnia nauta probè nobis depingunt, & nauis. Veritatem igitur, licet diuerſis quibuſdam exemplis Plotinus oſtendit, & Ariſt. Animam. ſ. rationalē diſſolubili corpori per vitam inferiorem coniungi.

De Modo, quo anima rationalis coniungitur corpori, latinorum explicatur ſententia. Cap. V.

PETRVS ille Pomponatius libro de animorum immortalitate (quos tamen ex Ariſtotelis ſententia dixit eſſe mortales) ab animæ rationalis natura opus illud eſt auſpicatus, cuius declaratio huic noſtro inſtituto deſeruit. Eā quidē non ſimplicis, ſed multiplicis: non certæ, ſed ancipitis naturæ voluit eſſe, inter mortalia,

& immortalia ſedem ſibi mediã vendicantem. Cũ mortalibus quidẽ, et inferioribus animis hinc ipſam conuenire conſpicimus, quòd in vegetatiuas, ſenſitiuasq; functiones progrediatur: quæ quidem operationes (ſi fidem his adhibeamus, quæ. 2. de anima, et 2. de animaliũ ortu, cap. 3. litteris mãdauit Ariſt.) non niſi corporei, caduciq; inſtrumẽti ope, atque auxilio poſſunt expleri. In ſupernorũ autem ſpirituũ numero propterea collocandã exiſtimare debemus, quòd ex Ariſtotelis ſententia libro de anima: primo de partibus animalium: & ſecundo de animalium ortu cap. 2, ſine inſtrumenti corporei opera intelligat, atque velit. Cum autem mortale, ac immortale inter ſe repugnantiam non leuem admittant, hinc inueſtigatione dignũ exiſtimauit Pomponatius quo nam modo vtriuſque oppoſiti rationalẽ animã appellare poſſimus participem. Quare vel hæc duo in vna, eademq; natura, vel in diuerſis coire dicemus. Et ſi ſecundum admiſerit quiſpiã; vel vtranque, mortalẽ ſcilicet, & immortalem, ſicut et homines numerabit, vt Platonẽ in Alcibiade primo ſenſiſſe dicitur; vel cũ Auerroe mortalem tantũ multiplicabit; aut cum nemine mortalẽ vnicam, numeratam vero aſtruet immortalẽ. Has omnes ſententias a veritate dicunt iſti eſſe diuerſas, quod in animaſticis ſpeculationibus fuſius declaraui; quare ad primũ confugiunt inſpiciendum. Hæc igitur

anima uel æqualiter contra oppoſitorum naturam mortalis eſt,& immortalis: vel veritati adherentes ſimpliciter vnum oppoſitorũ ſibi aſcribimus,& ſecundum quid reliquũ. Sed in hoc etiam explicando inter Pōponatiũ,& alios lis eſt,& non leue diſſidium: hic enim rationalem animam ſimpliciter fatetur mortalẽ, cum tamen in animaſticis ſpeculationibus eam ſecundũ quid mortalem, & eſſe ſimpliciter immortalem fuſius declarauerim. Cuius quidem veritatis ſectatores modũ, quo attingatur a materia,& anima ipſam ſuperet, declarantes,dixerunt,quòd cũ rationalis anima in quandã exeat functionem,materiã corporalem non parum excedentem; quoniam eſſe rei proportionatur eius operationi,ipſam idcirco a materia corporali non comprehendi. Attingitur autem a materia (inquiunt iſti) quoniam eſſe ſuum communicat corpori, & eſt illius forma. Ne tamen Ariſtoteli uideantur aduerſari,qui ſecundo de Anima 2 contex.de nauta, & naui ſermonẽ habuit;& vt Ariſtotelem a contradictione liberent, qui animam quãlibet actum eſſe corporis prius affirmauit, cum tamen reſpectu nauis hoc nauta non fungatur munere:ex cõmuni animæ finitione id quidem conſtare inquiunt, animam corporis eſſe actum:modum tamen,quo id exequatur,ex dictis non colligi,an ſcilicet vt motor, vel ut forma vitã præbeat corpori. Textu autem. 12. ſe-

cundam animæ finitionem Ariſtotelem auſpicari dixerunt, cuius beneficio corporis formam, non motorem eam eſſe deprehendamus.

Hæc reprobatur opinio. Cap. VI.

RATIONALEM *animam inter inferiorem, & mundum ſuperiorem propriam ſibi ſedem collocaſſe ex Ariſtotelis ſententia ſuperius fuit oſtenſum, hac tamen lege, vt in formis infimum coniungatur ſupremo. Modum quoque iſtius coniunctionis in de ſpiritualibus creaturis ex fertiliſſima D. Thomæ doctrina mihi deſumo, inferiora ſcilicet coniungi ſuperioribus, cũ inferioris ſupremum infimum attingit ſupremi. Ex his igitur licet excipere huius coniunctionis terminum infimum eſſe ſupremi, ad quod quidem diuinioris partis munere infimi ſupremum eleuatur. Cum autem quod nobilius eſt in mortalibus ſit ſenſitiua, infimum ſupremi ſit noſtra rationalis anima: eam igitur ad ſe trahit, cogitatiuæ intentionum indiuidualium decem prædicamentorum excipiendarum poteſtatem elargiens. Secus autem contingeret, ſi rationalis anima materiam attingeret, ipſi ſuum eſſe cõmunicans. Peccatum aliud in eorum dictis conſpicio: hi enim contra ſe quandam rationẽ adducunt,*

cunt, qua quidem eorum ſententiam a peripatetica veritate propterea probatur diſtare; quoniam ſi rationalis anima forma eſt, cuius eſt organum corpus: hoc & ipſi intelligere vſui eſſe concluditur. Efficaciſsimam hanc rationem unico uerbo radicitus euulſam arbitrantur, nam licet ſit animæ corpus organum, cuiuſlibet tamen ipſius non erit potentiæ, cum materiam ipſa ſuperexcedat. Verum in quos iſti labantur errores, non eſt arduum iudicare. Ipſi enim propterea eſſe animæ materiam ſuperare dixerunt, quoniã intelligere, quod ex Ariſtotelis ſententia eſt ſibi proprium, illam ſuperat quàm longiſſime: cuius illationis hinc patet neceſſitas, quoniam inter eſſe rei, & eius functionem optima reperitur proportio. Cum igitur excedere materiam ex iſtorũ etiam opinione nil quidem ſit aliud, quàm ab ipſa non attingi, nec eius, tanquàm organi opera vti: ne functionem fontem, ac originem propriam dignitate ſuperare dicamus, ſi functionis corpus non eſt organum, nec etiam erit animæ. Inueſtigatione quoque dignum exiſtimarunt iſti, an rationalis anima cum ſit hoc aliquid, vt forma corpori poſſit vniri. Tuentur iſti affirmatiuam partem, dicentes duo eſſe de ratione eius, quod eſt hoc aliquid, ſcilicet per ſe poſſe ſubſiſtere, & ſine alterius ope, atque auxilio in propriam functionem exire. Primũ quidem animæ noſtræ aſcribunt: ſecundum verò minime. Ex

naturalium autem formarum ordine veritatē deſumentes, cum ad rationalem tandem deueniſſent, inquiebant cum diuinis ſubſtantijs hanc noſtrā conuenire in genere quoque cognitionis, quippe quæ immaterialia etiam apprehendat & ipſa, cuius rei cauſa eſſe proprium ſupra materiam eſt eleuatum, non dependens ab ipſa: quam tamen vniri corpori propterea neceſſarium eſſe dixerunt, quod à ſenſibilibus originem trahat eius cognitio. Cum igitur eſſe animæ à corpore nō dependeat, per ſe ſubſiſtere poſſit: & quoniam ex ſenſibilibus tantum cognitionem nanciſcitur, vnitur corpori: hinc quidem quare vt forma corpori vniatur, non cognoſco. Si dixerint vt humana ſpecies compleatur: iam completam eſſe ſatis, ſuperq́; fuit oſtenſum. Illud accedit, ex eorum quoque dictis hanc veritatem deſumi, hominem .ſ. huius operationis, quæ dicitur intelligere, denominationis tantum eſſe ſubiectum, principale verò animam, quæ hac una de cauſa tantum vnitur corpori: vnde ipſam vt formam vniri neceſſarium nō eſt affirmare. Adde Plotini, doctiſſimiq́; Marſilij efficaciſſimā rationem: nam ſi vt forma corpori vniatur rationalis, adeò permiſcentur omnia, vt quæ corporis, quæúe ſint animę paſſiones non dignoſcamus, tantum abeſt vt ex vnione illa humana ſpecies compleatur. Super librum .n. Quid animal, & quid homo, cap. 7. diuina hæc Marſilius habuit uerba. Et

profectò niſi quis ita diſtinguat, difficillime aſſignare poterit rationes partim diuinitatis noſtrę, partim eorum, quæ a diuinitate in nobis aliena videntur. Neque Platonis tantum, & Pythagoræ hæc ſententia eſt, vt ex Timæo patet, atque Aegyptiorũ, quod docet Iamblicus: verum etiam Ariſtotelem ita ſenſiſſe Themiſtius aſſerit. Hæc autem ſententia eſt, duas in nobis eſſe vitas, quarum ſecunda ſit à prima, eiusq; imago: ſed prima in ſe ſubſiſtés; ſecunda inhęrens corpori; prima ſit totum in ſe quoddam; ſecunda ſit pars compoſiti. ſ. animalis huius, quod primæ ſubeſt vitæ. Vnde Ariſtoteles poſtquàm animam appellauit formam, ſiue actum, ſubiunxit aliter eſſe actum intellectualem animam, aliter aliã. Cum etiam inquit Ariſtoteles adhuc immanifeſtũ an anima ſit actus, ſicut nauta nauis: ne vnico verbo Ariſtotelem nos decipere fateri cogantur, actũ illum etiam nautę applicatum formalem perfectionem non excludere dicent, licet inter huiuſmodi actus diſcrepantiam illam oſtendat, quæ inter ſeparabilem reperitur, & inſeparabilem, quemadmodum ſuperius declaratũ fuit.

Quas huius deſcenſus cauſas in medium adduxerit Ariſtoteles, declaratur. Cap. VII.

RATIONALEM animam propterea huc deſcendere in Phædro dixerat Plato, quòd obliuione, prauitateque grauata, confregerit alas. Hanc eandem ſententiam libro miſticæ philoſophiæ primo cap. 5. ex Platonis ſentẽtia vnico verbo expreſſerat Ariſtoteles, inquiens propter peccatum commiſſum ad luendam pœnam deſcendere animã. Capite verò quarto dixerat cum Anticlide animã quidem ſurſum præextitiſſe honorabilem: ſed peccato commiſſo in inferiorem mundum decidiſſe. Peccatum iſtud alarum eſſe confractionem in Phædro ſenſerat Plato: ſed fractæ ſunt alę, quoniam obliuione grauata eſt, & prauitate. Hęc duo vnico verbo libro primo Theologiæ cap. ſecundo nobis præmonſtrauit Ariſtotels, inquiẽs nil aliud eſſe deſcenſum, quàm deſiderium ad hęc inferiora conceptum. Priuata eſt igitur perfectiſſima illa cognitione, & diuina relicta pulchritudine, hanc tantum deperit ſublunarem. Peccatum iſtud grauiſſimum arbitratur Ariſtoteles: nam ſi animam obliuione grauari dixerat Plato: hanc in ignorantiam delabi fatetur Ariſtoteles: vnde maiori quoque prauitate grauari eſt

neceſſarium. Ex Platonis etiam doctrina cum Plotino animam dicemus deſcendere, tum vt partum emittat, tum ne naturalis ipſius fruſtretur potentia: quæ duo Ariſtotelem explicaſſe comperio. Libro enim miſticæ philoſophiæ primo, cap. ſecundo, cum deſcenſum dixiſſet deſiderium ad hæc inferiora conceptum: conceptum iſtud deſiderium fœtum eſſe putauit: vnde illam deſcenſus finitionem declarans, inquiebat. Quando autem intellectus appetitu concipit aliquid, mouetur ad illud, vt mulier grauida nititur parere. Alterum lib. Theologiæ ſeptimo, cap. primo luce clarius expreſſerat, dicens quòd niſi proderet vires inferiores anima, quibus inter bonum, et malum diſcrimen ponere valet: ſed in ſe illas retineret abſconſas, perinde foret, ac ſi anima nunquàm fuiſſet. Hęc tandem duo hinc huius deſcenſus cauſam exponunt, quoniam anima quælibet nobilis tres habet operationes, diuinam, intellectualem, & animalem. Diuina quidem eſt operatio cauſare, influere, & miniſtrare: intellectualis eſt intelligere: animalis autem viuificare, dirigere, atque mouere. Animas nobiles cum Platone nuncupat Ariſtoteles mundi animam, & illas cœleſtium corporũ formas, cum noſtris, quas omnes in has functiones exire, neceſſariũ eſt. Anima quidem vniuerſalis in animalem progreditur operationem, cùm lib. tertio miſticę philoſophiæ, cap. quarto eam circa ma

teriã verſari dixerit Ariſtoteles media natura cœleſti, cuius rei cauſa lib. primo Theologiæ, cap. ſecundo ab intelligibili mundo opere dixerat ipſam recedere. Opere quidem à diuinis recedit, quoniam licet quantum ad ſubſtantiam ex momento ſit æternitatis: eſt tamen ex momento tẽporis quantũ ad actionem. In hanc eandem functionem exeunt cæteræ ſuperiores animę, nam motus ille cœleſtis vtriuſque principij ratione naturalis eſt: mouere autem animalis eſt poteſtatis. Intellectualis quoque operatio mundi animę, cæteriſq́; debetur, quas lib. primo miſticæ philoſophię ſubſtantias intellectuales ſecundarias nũcupat Ariſtoteles, illasq́; ab intelligibili mundo ſubſtantia non recedere. De diuina verò dicendũ eſt mundi animã propterea hoc diuino munere fungi, & cœleſtes, quòd vniuerſales ſint cauſę, in quarum excellentiſſimam poteſtatem omnia hęc inferiora ſunt referenda. Cum autem rationalis animæ ſemina in eandem crateram perfuderit Deus, illas cœleſtes, & noſtras lib. primo Theologię, cap. ſecundo intellectuales ſecundarias nominans Ariſtoteles: ſi diuino in intellectuali mundo munere fungebatur, ſi intellectuali prædita erat cognitione, abſconſum tamen, & in potentia inerat ſibi deſcendendi deſiderium: ne tam nobilem animam vi quadam detineri cogamur fateri, ad hanc explicandam operationem eam huc deſcendere, neceſſarium erit

aſſerere.Superius quidem in functionem diuinā exibat,quandoquidem ex Ariſtotelis ſententia lib.miſticæ philoſophię ſi hæc deſcendens intellectualis natura influxum ſiſtit in anima, ſuperius etiam vitam degens in prima cauſa conſiſtit, cuius virtute firmata, ex auguſtiſſima illius bonitate poſtquàm diuinum recepit influxum, licet finitum,huc illum demittere non dedignatur. Intellectuali nomine digna tunc eſt anima, quandoquidem lib.ſecundo Theologiæ cap.ſecundo animam ſine tempore formas ſpeculari dicebat Ariſtoteles, cum illi ſint ſemper euidentes tum infimę, tum ſupremæ, illiq́; ſit præſens ſemper obiectum. Ex his igitur colligatur eaſdem cum Platonicis Ariſtotelem huius deſcenſus cauſas aſſignaſſe.

Dubium quoddam ex dictis emanans exponitur, funditusq́; proſternitur. Cap. VIII.

INVESTIGABANT *Platonici cur animæ noſtræ tantum, & non illæ cæleſtes deſcenderent, cum omnium tamen vnam, eandemq́ue compoſitionem in Timæo aſſeruerit Plato. Satis quæſito huic ſe feciſſe ſunt arbitrati ſi di-*

cerent ex prædominio generum illorum diuerſò iſtud contingere. Eandem dubitandi cauſam ex ipſius dictis depromi poſſe prouidens Ariſtoteles, libro primo Theologię cap. ſecundo ſolutionem nobis præmonſtrauit. Entia nanque intellectualia in ſubſtantiam pure intellectualem partitur, & ſecundario talem. Prima quidem nihil omnino motus admittit, ſed fixa in mundo intellectuali (dicebat Ariſtot.) non diuellitur ab ipſo, neque item accedit aliò, cum non habeat locum, ad quem ipſa transferatur. Secundariam verò quamcunque intellectualem ſubſtantiam hanc ſortiri dixit diſcrepantiam, nam quædam ab intellectuali mundo diſcedit opere tantum, vt cœleſtis anima: quædam autem opere, ſubſtantiaq́; , ſicut noſtra rationalis anima. Huius diſcriminis cauſam aſſignat, quoniam quędam peccatum accidens moderatur, quædam verò minime, quæ hac de cauſa deſcendit. Peccatum quidem accidens cœleſtis anima moderatur, quoniam deſiderium ad hæc inferiora detrudens, quod ſecum fert quælibet anima, non concipitur ab illa cœleſti, ipſum vigorari non permittit, & intendi: ſed ipſum moderatur, quantum ad opera tantum ſecundaria ipſius vtens auxilio, vnde non iniuria forma dicitur abſoluta. Opere verò deſcendit, quoniam non ex ſe ipſa, ſed (vt lib. quinto Theologiæ cap. quarto dicit Ariſtote.)

media natura cœleſti proprium producit effectum, hæc ſcilicet ſublunaria. Quoniam autem non ut una, non ut intellectualis, ſed ut anima deſiderans in hanc functionem progreditur: hinc à Platonicis inſtar compoſiti corporis agere dicebatur: & ab Ariſtotele opere ab intelligibili mundo diſcedere. Opere quoque diſcedit, quoniam à bono nimium diſtans, diuinum influxum recipit limitate, inſtrumẽti utitur opera, eiusq; fœtus firmus, ac ſtabilis eſſe nequit. Ab intellectuali tandem mundo diſcedit opere, nam (ut lib. ſecundo miſticę philoſophiæ, cap. ſecundo putauit Ariſtoteles) in altiori mundo nihil eſt profectò, quod non ſit ſtabile, firmum, et ſine tempore: ſed cœleſtis animæ functio, qua inferiora producit, tempore menſuratur: unde diſcedere ſic dicitur optimo iure. Cum autem noſtra rationalis anima naturali quadam propenſione deſiderium illud ad hęc inferiora detrudens, concipiat: non ſolum actione, ſed ſubſtantia quoque progreditur, atque deſcendit. Hanc peripateticam ueritatem pluries in com. ſuper lib. de anima nobis ſignificauit Simplicius, in tertio præſertim particula prima hæc aurea uerba proferens. Vnus itaque intellectus eſt, qui id pure, atque ſincere permanet quod antea erat: quique rurſus remittit quod permanens eſt ex appulſu, atque progreſſu à ſe ipſo ad ea, quæ extra: quique ex hac quoque cauſa imper-

fectus exiſtit, licet perfectus factus ſit. At rurſum quoque à ſecundis illis appulſibus ſeiungitur, ac in ſe ipſum reuertitur, quando etiam illud eſt, quod uerè eſt. Nam in illo appulſu quodam pacto à ſe ipſo recedit, neque in ipſo omnino manet, neque id purè eſt, quod uere eſt: nam & quo ad ſubſtantiam pertinet quadam ratione confringitur, tametſi haud idcircò omnino pereat.

De huius deſcenſus neceſſitate quid Ariſto. ſenſerit, declaratur. Cap. IX.

ANIMARVM deſcenſus tria Platonici affirmabant eſſe principia ſcilicet naturam, electionem, atq; neceſſitatem. De neceſſitate hanc ueritatem nobis explicabant, illa ſcilicet deſcendere animam, quę naturam non præcedat, & electionem, ſed hęc ſequatur. Natura enim deſcendit anima, hanc, uel illam ſponte, ac libere ſibi deligens uitam: ſed perfecto delectu ut uitam illam inferius uiuat, cogitur lege fatali. Hanc eandem ſententiã diuine admodum lib. primo theologiæ cap. quinto nobis explicauit Ariſtoteles: quo quidem in loco cum Platone propter peccatum cõmiſſum, & ad leges Dei accipiendas animam profitebatur deſcendere. Primò igitur peccat anima,

diuinis deinde legibus ſubiacet: ac ſi cum Platonicis dicat uitam hanc inferiorem liberè ſibi deligere animam, qua electione peracta fatalibus Dei legibus cogatur ſubiacere. Cum igitur diuinis legibus poſt peccatum commiſſum ſubiaceat anima, illarũ uirtute, ac efficacia eam deorſum detrudi non erit aſſerendum. Sponte uitam inferiorem eligere animam lib. theologiæ primo cap. ſecundo manifeſtauit Ariſtoteles, inquiens unius deſiderij concepti cauſa illam deſcendere. Hoc deſiderium cõnaturale dicitur ab eodem ſubſtantiæ cuilibet intellectuali ſecundariæ: ſed ipſum moderatur cœleſtis anima, quoniam in ea præualet idem, & ſtatus: cui tamen deſiderio noſtra non imponit habenas, cum æqualiter uiciſſim contraria ſibi uendicent principatum. Hinc tandem in naturam animę propriam deſcenſum reijcit Ariſtoteles, qui lib. theologiæ ſeptimo, cap. quinto propterea non conqueri animam debere putauit licet ad inferiora deſcendat, quoniam animæ naturæ conuenit (licet diuinarum aſcribatur numero) eſſentia mundi ſenſibilis non carere, quippe ſuperioris ſit infimum, & inferioris ſupremum. Verum cum à ſummo bono finitum influxum recipiat, inſtarq; mixti corporis maxime agat (non enim eſt naturę principium, ſed uniuerſalis animæ ſoror, & collega) hinc non ſimul in ſenſibiles, & diuinas functiones progredi poſſe cum Platonicis

atetur Ariſtoteles: ſed diuinam uitam prius agit, humanam deinde: & quoniam eſt diuina, hinc illuc rurſum ſe conferre poteſt. Peripateticam hanc ueritatem, naturali ſcilicet propēſione, etiam quantum ad ſubſtantiam progredi animam, tertio de Anima par. prima his uerbis ſignificauit Simplicius. Cæterum non ſecus atque animate medietati conuenit, tanquàm eius, quod diuiditur, atque indiuiſibile medius exiſtit. Eodemq; modo et eius, quod in ſe ipſo permanet, & eius, quod omnino aliquando à ſe ipſo recedit: & eius, quod genitum, atque ingenitum: & eius, quod immortale, atque mortale omnino medius eſſe poteſt. Clarius deſcenſum ſic explicat ibi. Nam uitę illę, quæ cum appulſu agunt, aliquando quidem nituntur, & rurſus contrahuntur in eam, quæ in ſe ipſa maneat. Hæc autem aliquando quidem ſupremam illam permanſionem in ſe ipſa exiſtentem perfringit, atque illam quoque ipſius permanentię ſumitatem, quæ ex conuerſione in ſe ipſam perficitur. Ita ut neque ſemper eodem modo permanendo ſe ſe habeat, quemadmodū Platoni uidetur: neque ita intus progrediatur, ut omnino à ſe ipſa recedat. Nulla igitur accedente repugnantia natura, electione deſcendit anima, & neceſſitate.

Quæ contra determinata in medium adduci poſſint abſurda, recenſentur. Cap. X.

NE in abſurda maxima laberentur Plato, & Ariſtoteles, propterea Deum culpa uacare dixerunt, quòd lex illa fatalis electionem non præcedat, & naturam, ſed illa ſequatur omnino. Verum dum extrinſeca incommoda euitare ſtudent, in alia incidunt grauiora ex eorum doctrina manantia. Anima nanque rationalis noſtra unius ſummi boni largitate, infinitaq́; ipſius poſteſtate per intellectum medium edita fuit in lucem, ſenſibilis, & intellectualis naturæ particeps adeò, ut non poſſet non deſcendere, non uniri ſenſui, & diſſolubili corpori non ſe inſinuare. Hinc igitur inferre licebit Deum immortale mortali, diſſolubiliq́; alligantem iniuſtum eſſe, impotentem, improuidentem, animæq́; rationali inimicum. Horum autem quatuor primũ Deo non eſt aſcribendum, cum lib. de fortuna, & illo de mundo Deus æquus iudex nuncupetur ab Ariſtotele. Nec etiam ſecundum, cum in eorum deſcendere debeamus ſententiam, qui Deum etiã in uigore infinitum appellant. Quam quidem ueritatem ſi multum cogitatiuę tribuentes in contẽ-

plando ex octauo de auditu phyſico ſibi depromere nequeunt: in alia quædam Ariſtotelis clariora lo ca conijciant oculos. Ex diuinorum enim 12. contex.51.& lib. quinto tex.21.deducitur: quod etiã ſeptimo Politi.lib.miſticæ philoſophiæ ſecundo,cap. 4.lib.10. cap.13. & lib.14.cap.4. fatetur apertiſſime. Tertium quoque non aſſeremus,cùm diuinam prouidentiam lib.de mundo,& in Economica liberè profiteatur Ariſtoteles.lib. de Cœlo tex.32. In theologia lib. 10.cap.13.Idem colligitur ex lib. de auditu phyſico.2.contex.75.& 12. diuinorum 37.& 52.contex. ſecundo de Generatione 59. Si tandem his, quæ octauo Ethi.dicit Ariſtoteles fidẽ adhibeamus, Deum ſcilicet amore mentem ſibi cognatiſſimam proſequi maximo: quartum ab ipſo remouebimus ſtatim. Hæc tamen abſurda ex hac animæ rationalis coniunctione cum diſſolubili corpore cõſpicimus emanare. Nulla enim ratione alia coniugium iſtud execrabatur Plato, q̃ quòd præ illa prima uitã inferius ageret calamitatibus,& in fortunijs pluribus circundatam. Quare ſi corpus ab Orpheo carcer animæ dicebatur, antrum ab Empedocle,& à Zoroaſte ſepulchrum: à Platone quoque ſeptimo de Rep.ſpecus nuncupatur, & ligamẽtum. Diuine igitur & Ariſtoteles lib. miſticæ philoſophiæ primo, cap.quinto adhęrens Anticlidi corpus animæ carcerem appellauit: Et lib.diuinorum

primo,cap.primo naturam humanam dixit multipliciter ſeruam, quippe corpus ex Galeni ſententia lib.artis paruę ſecundo, perpetuę paſſionis dogma patiatur: & ipſum uarijs fortunæ malis lib. Eth. primo,cap.13.ſubditum dixerit Ariſtoteles. Animus quoque proprijs afficitur morbis: innumeris enim obruitur uitijs,ut ex lib.Topicorum ſecundo: & lib.Eth.tertio cap.quinto deducitur. In errores detruditur plurimos ex Themiſtio in prohemio phyſicorum: & lib. de Anima tertio, cap. nono. Iniuſtus eſt igitur Deus, quippe qui diſſolubili corpori coniunxerit animam,cuius culpa tot, tantaq; incommoda patitur acerbiſſima. Quantum autem diuinę potentię detrahat iſta coniunctio, hinc facile patet: nam ſi natura, quæ à diuina dirigitur intelligentia de poſſibilibus facit quod eſt melius, cum ſit longe melius purum ab impuro ſeiungi, incorruptibile corpus immortali animæ debuiſſet ſubſternere,cuius oppoſitum unius impotentiæ culpa contigiſſe, neceſſarium eſt ut fateamur. Improuidens Deus uidetur,quippe qui corpus ineptum, & inutile nobili accommodauerit animæ, habitus in corpore acquiſitos minime conſeruanti.Libro enim primo de Anima tex. 66. & lib. tertio tex.20. non reminiſci dixerat Ariſtoteles, cuius eſt rei cauſa, quoniam (ut lib. miſticæ philoſophiæ ſecundo cap. primo inquit Ariſtoteles) ſi res aliter ſe haberet,

hinc nunquàm illuc ſe ad diuina conferret. Humanæ tandem naturæ Deum quis ſuſpicari poſſet inimicum, qui eam corpori, tanquàm pœnarum loco alligauerit. Incommodum autem iſtud non ſubterfugimus, ſi naturam malum aliquod permittere dixerimus, ut extrahat inde præſtantius bonum. Quandoquidem immortalis ſi ſit anima, eandem etiam perpetuam corpori præextitiſſe oportet, non quidem ocioſam, ſed cuncta intelligentem: hinc igitur corporis coniunctionem intellectus uelamentū poterimus affirmare, tanquàm paſſionem, morbū, & ſomnum, tantum abeſt ut ex ipſa poſſit aliquid boni deſumi. Somnum, quidem lib. Eth. primo. cap. 18. uitæ medietatem occupare dixit Ariſtoteles. Adoleſcentiam partem uitæ tertiam ab humanis affectibus, uelut à feris ex ſeptimo phy. tex. 20. fere ſemper laceſſiri depromimus. Senectus tandem, uelut naturalis morbus nos aggreditur, & ingrediur. Quapropter à iam adductis calumnijs Deum liberari non poſſe, rationibus iſtis quis facile poſſet ſuſpicari.

Hæc

Hæc, quæ Peripateticam diſciplinam videntur opprimere, funditus proſternuntur. Cap. XI.

PERIPATETICORVM *princeps Ariſtoteles hæc præuidens iacula, de deſcenſu orationem inſtituens ea commiſcet, quorum beneficio calumniam omnem à ſe propulſet quàm longiſſime. Secundo cœli. 17. contex. & 12. diuinorum. 37. duplicem arbitrabatur eſſe finem, primarium. ſ. & ſecundarium, ibiq; horum inferiorum ſuperiora, tanquàm ex ſecundo ſcopo noluit curam habere. Hinc peripatetice ſentiunt illi, qui cœleſtes animas perpetuo quodam nexu, & illo quidem formali (quod lib. de intrinſecis corporum cœleſtium principijs fuſius declaraui) orbibus illis ſupernis nulla quidem ratione alia dicunt coniungi, quàm vt diuinæ voluntati obtemperantes, continuis lationibus inferiorem hunc mundum hac in rerum viciſſitudine perpetuò ſeruent: quæ tamen intelligentiæ (vt ex abſtractiſſima ipſarum functione deprehendimus) à corporibus illis cœleſtibus ſint ſeparabiles. Noſtras igitur animas rationales propterea neceſſitate illa naturæ deſcendere voluit Deus, vt & ipſæ cœleſtium numero aſcriptę ſe di-*

uinæ voluntati ſubiectas cognoſcerent, & particu lari quadam præfectura mundo huic vtilitatis aliquid afferrent, & perfectionis. Sub diuina quidem voluntate ſe conſtitutas cognoſcunt, quoniam (vt lib. miſticæ philoſophiæ ſeptimo, cap. primo dixerat Ariſtoteles) poſteaquàm huc deuenit intellectualis ille homo, circunſpicit admirabundus inſignia euidentia, inſpectatq; etiam inferiora, & inſuper veneratur eius auctorem, agnoſcens quòd eius opus eſt ſupreme abſolutum, et pulchrum, quodq; ipſum eſt ſumme bonum, cuius virtus eſt interminata. Inferiorem quidem mundum pulchrum eſſe cognoſcit, quoniam ipſum mirabili, diuinoq; diſpoſitum ordine videt: vnde ſe nexum, & vinculum animaduertit, quo mundus inferior corporis, & animæ rationalis cauſa coniungitur ſuperiori. Abſolutum autem huius deſcenſus munere hunc mundum eſſe deprehendit, quoniam (vt lib. Theologię primo, cap. quinto cum Platonicis fatetur Ariſtot.) ipſius tantum cauſa & ſplendidiſſimo intelligibili Sole hic mundus ſit inſignitus, & hic tot reperiantur anima lium genera, quorum eſt ipſe caput, & princeps, quot in ſuperiori animaduertimus reperiri. Illud ac cedit etiam huic inſtituto accommodatum ſatis, & aptum, quòd ſi diuina prouidentia res naturales ex earum defectu quadam ad vtrumlibet contingentia vagari permittit, quę contingentiam refe-

rat tandem in neceſſarium, & malum in bonum: eandem etiam, & multo quidem magis (vt in ſumma de fato dicebat Marſilius) permittet in voluntarijs, vbi contingentia oritur ex perfectione: nam cum non ex impreſſa forma, ſicut naturalia, ſed ex concepta notione moueantur, & agant, hinc contingentia voluntarijs magis eſt propria. In bonum autem hoc malum Deus tranſmutat, cum ex deſcenſu abſtrahendo ſpecies ab obiectis ſenſibilia intelligat rationalis anima, & bonum, malum'ue iam experta, ex merito ſecundum inſtitutionem diuinā beatitudinem aſſequatur. Quam quidem veritatē tunc uoluntariam eſſe nullus unquàm affirmabit, cum, quę lib. miſticæ philoſophiæ ſeptimo, cap. primo, eſt ſexto dixit Ariſtoteles, conſiderauerit. Ibi enim propterea deſcenſum non damnandum exiſtimauit, quòd ſuperioris mundi præſtantiam, & huius inferioris ignobilitatem per experimentum didicerit, & cognitionem. Illud tamen notatu digniſſimum pluries lib. Theologiæ nobis proponit Ariſtoteles, ex deſcenſu. ſ. non propterea per cognitionem, & experimentum vtrunque mundum animam didiciſſe, quòd deſcendens priorum memoriam habeat, uel aſcendens inferiora memoria teneat: quandoquidem ſi res ita ſe haberet (ſi tamen nihil eſt aliud memoria, quàm cum rebus illis ſimilitudo,) uel nunquàm aſcenderet anima, uel huc nunquàm

deueniſſet. Hoc tandem animaduerſione dignum à peritiſſimis quibuſque cenſetur, per ſe quidem poſſibilem intellectum non pati, ſed patibilem, qui conſtituit animal: quod ſuperius etiam ſatis ſuperq́; expoſitum fuit, & nunc exemplo ſatis accommodato manifeſtatur: quandoquidem in ſolis ecclipſi nos profectò priuamur lumine, ſol tamen nihil patitur. Hinc cum Iamblico, Platonicisq́; omnibus lib. theologię ſeptimo, cap. quinto concludebat Ariſtoteles huc quidem deſcendere animam ſenſibilium rerum principium: ſed in inferiorem quoque mundum retinere influxum, uires proprias infundentem, eum innumeris dotibus inſignire, ſæpeq́; ſordes, & uitia, ne commiſceantur, auferre. Quinetiam tantum abeſt ut infortunijs, & corporeis calamitatibus obruatur rationalis anima, ut ipſius beneficio corpus ipſis ſubiectum ex tot incommodis ſæpiſſime poſſit liberare. Ex his igitur iniuſtum non eſſe Deum luce clarius conſtat: quandoquidem ipſa non patitur anima, licet per accidens. Et ſi quandoque labitur in errores, huius quidem imperfectionis ſignum hęc eſt unio, ſed non cauſa, impotens etiam non eſt Deus opt. max. nuncupandus: nam ex Auerroe octauo phyſi. com. quarto, quę fieri nequeunt non reſpicit impotentia. Fieri autem nequit, ut rationalis anima, quæ reſipiſcit facillime, perpetuis quibuſdam uinculis incorruptibili corpori remaneat alligata.

Prouidentia quoque à ſummo bono non eſt reÿcien
da, nam in deſcenſu ſuam & ipſa communicat o-
perationem, atque perfectionem, ſingularium co-
gnitionem nanciſcitur, ex mali peritia bono
tenacius hęret, inferioriq́; mundo vti-
litatem affert non leuem. Vnde
nonniſi mente captus, et
delirans Deum
glorioſum
hoſtem
rationalis animæ nuncupabit.

STEPHANI CONVENTII BONONIENSIS

DE ASCENSV MENTIS IN DEVM

Liber Tertius.

In quo de ſtatu hominis ante aſſenſum Platonica explicatur ſententia.

Quo nam modo Platonici deſcribant Aſcenſum, explicatur. Cap. Primum.

MENTIS *Aſcenſum ex deſcenſus cognitione facile admodum erit deſcribere: quandoquidem ſi lib. de animarum deſcenſu cap. primo ipſum nihil aliud dixerat eſſe Plotinus, quàm inſinuationem corpori: & à corpore, eiusque vinculis ſolutionem aſcenſum eſſe platonicè poſſumus affirmare: quod lib. de Rep. ſeptimo per hominem in antro vinculis pluribus deuinctum ſatis aperte Plato ſignificauit. Illud tamen animaduerſione dignum dixerunt platonici, duplici quidem modo mentem*

à corpore poſſe diſiungi,tum ſcilicet in receſſu, vitã ſecundam attrahendo: tum ab illis tantum ſe ſeparando, quæ vitam etiam primam corpori affigere poſſunt. Primus quidem diſceſſu à corpore ſimpliciter menti non conuenit, cum non omnis corpus, quod hic particulariter gubernarit, relinquens, ad diuina ſe conferat: quare cum Plotino lib. quarto En. ſextæ aſcenſum eſſe dicemus tranſitum in diuinam naturam. Aſcenſum ad priſtinum ſtatum regreſſum eſſe lib. de occaſionibus deſcripſerat Porphyrius: & ne omnimodam ſeiunctionem à corpore per hæc verba intelligeremus, de ſolutione animæ verba faciens, inquiebat. Philoſophus quidem animam à corpore per violentiam non extrudet: nã ſi vim intulerit, nihilominus permanebit ibidem. Cauebit tamen ne ſenſus,eiuſq; voluptas ſi inualeſcat, animam profundius in corpus immergat. Eandem ſententiam lib. de anima, & Dęmone hunc in modum aperuit Proclus. Animæ deſcendenti adnatæ ſunt ex mundo multiformes vitæ, veſteſq; variæ, trahentes quidem ipſam in compoſitionem caducam, obſtantes autem contemplationi ſeparatorum. Oportet igitur animam hinc ad naturã illam peruigilem ducendã, amputare ſecundas, tertiaſq; vires deſcendenti ſubortas, cohibere impetus extra ferentes. Reminiſci rurſum ſeparatorum,eſſentiæq; diuinæ,vnde eſt facta deſcenſio,& ad quam omnẽ

vitam contẽdere debet. Hanc eandem veritatẽ lib. de miſterijs diuinè admodũ Iamblicus nobis expreſ ſit inquiẽs. Contẽplabilis ipſe in ſe homo erat quon dam Deorum contemplationi coniunctus: deinde uerò alteram ingreſſus eſt animam circa humanam formæ ſpeciem contemperatam, atque propterea in ipſo neceſſitatis, fatiq; uinculo eſt alligatus. Conſiderare itaq; decet qua præcipue ratione ab eiuſmodi vinculis diſſolui poſſit: eſt autem ſolutio nulla præter ipſam Deorum cognitionem. Qui tandem Platonis miſterium lib. de Rep. ſeptimo in homine illo figuratum examine diligenti perpendere voluerit, aſcenſum nil aliud profitebitur eſſe, quàm ſurſum ad ſplendidiſſimum Solem capitis conuerſionem. Dum enim tot vinculis in antro vitam agit obſtrictus, Solem non intuetur, ſtatuę tantum ligneæ, uel lapideæ ſibi ponuntur ob oculos: ſed cum ab impedimentis liberatus caput ad os antri conuertere poteſt, ſurſum attollit oculos, & maxima ſui cum lætitia Solem inſpicit lucidiſſimum. Ex his igitur duo ſcitu quidem digniſſima licet nobis depromere, quorum eſt vnum non omni ex parte aſcenſum ad tertium animæ ſtatum pertinentem opponi deſcenſui: ſed hac in re tantum, quòd per aſcenſum priſtinam recipiat anima de diuinis cognitionem, & fælicitatem deguſtet, quibus priuata fuerat in deſcenſu. Alterum eſt memoriæ penetralibus affigendũ, hu-

ius ſcilicet aſcenſus duo extrema eſſe, & terminis duobus claudi, à quorum vno mediorum quorundã beneficio ad alterum ſe conferat anima.

An aſcendendi animæ facultas concedatur, pauciſſimis explicatur. Cap. II.

TANTVM autẽ abeſt, vt aſcendere nos ignoremus poſſe, vt à natura inſitum ſit iſtud aſcendendi deſiderium. Plotinus enim lib. de contemplatione, ac uno, cap. quinto: et clarius Marſilius in argumento, cap. ſecundo finem intellectualis naturæ ſtatuunt in ſummi boni cognitione, ac ſi propria hæc ſit, & præcipua conſiderandi ratio. Libro etiam de triplici aſcenſu ad mundum intelligibilem cap. primo Plotinus accepit pro comperto nos ad ipſum bonum, ſummumq; principium tandem peruenturos. Libro tandem de bono, vel uno cap. octauo inquiebat Plotinus Deum eſſe centrum vniuerſi, circa quod & anima noſtra ſemper reuoluitur, cuius ſunt tres orbes. ſ. intellectus, ratio, & imaginatio. Intellectus quidem circa centrum vniuerſi ſemper reuoluitur: non animaduertit autem, cum & rationis, & imaginationis culpa per obliquum declinet: Semper quidem reuoluitur, ſed non ſemper animaduertit, ideſt non conuertitur: quem-

admodum circa regẽ canunt multi, diuertitur quiſ à duce, atque diſſonat, & tamen ſequitur ducem: ſed cum ad ipſum conuertitur, optime canit. Et quo niam naturale eſt orbem circa centrum volui, prę ter naturam autem per obliquum declinare: hinc aſcenſus in Deum à natura nobis conſpicimus inſi-tum. Et ſi Porphyrio fides adhibeatur, qui lib. de oc-caſionibus vniuerſales cauſas voluit effectus ad ſe conuertere: cum Deus ſit animæ noſtræ creator, & indulgentiſſimus pater: hanc ad ſe rapere, hanc na-turaliter ipſum petere dixerim. Summi nanque bo ni ſplendorem in omnibus fulgere Marſilius dixe-rat lib. quarto Theologiæ cap. primo: & ubi effulget clarius, ibi præcipue allicit intuentem: at cum in ani ma noſtra maxime diuinus ille fulgor effulgeat, na turali etiam quodam deſiderio illum intuetur, alio-quin imperitus eſſet Deus ſagittarius, & infortuna tus. Imperitus quidem, quoniam deſideria noſtra, ue lut ſagittas ad ſe dirigeret, nec penulas addi-diſſet, quarum munere ſcopum tan-dem attingeremus optatũ. In-fortunatus autem, cum ipſius conatus, quo nos ad ſe ra pit, nunquàm finem conſe-queretur.

Quę nam ſit animæ diuiſio ſecundum Platonicos in membra ſeptem. Cap. III.

NE imperitum ſagittarium ſapientiſſimum Deum fateri cogerētur Platonici, animæ noſtrę penulas quaſdam accommodaſſe dicunt, quarum beneficio iter iſtud aſcendendi licet arduum, poſſit arripere. Verum cum ex diuidua natura conſtet anima, & indiuidua, deſcenſus, & aſcenſus penulas ipſi Deum conceſſiſſe credendū eſt. In Timęo igitur partitus eſt iuuentam animę naturam in membra ſeptem: ſed quę ſint, qualiaúe membra iſta, non eodem modo ab omnibus determinatur Platonicis. Quidā enim Procli adhærentes ſententiæ in ſubſtantiales animę partes iſtam dicunt eſſe diuiſionem, hæc quidem una moti ratione, quoniā ſubſtantia præcedit accidens, & ſecundum naturā quo ád ſubſtantialia vnumquodque prius contemplamur. Animam quidem per ſubſtantialia conſiderauit Plato, cum ipſius compoſitionem ex generibus quinque, & elementis duobus oſtendit conſtare. Nunc autem inter hęc membra qualis reperiatur proportio, qualisúe conſonantia, nobis oſtendit. Verum ſi Platonis verba diligenter inſpexerimus, hæc à primis diuiſa eſſe deprehendemus; & cum prę ter

genera quinque nihil ſit ſubſtantiale, cuius cauſa poſſit anima in determinata ſpecie collocari: hinc ratio apparet nulla, qua in partes alias ſubſtantiales ipſam Plato diuidat, quas nec etiam explicat. Veritati verò conſonat ſecundum naturæ ordinem ſubſtantialem rei cognitionem illam accidentalem præcedere, quod & obſeruat Plato: hinc tamen non colligitur de ſubſtantialium partium conſonantia tunc ſermonem haberi. Quinetiam ſi in iſtorum ſententiam deſcenderit quiſpiam, in hunc errorem delabi eſt neceſſarium, vnum ſcilicet et idem ſe ipſum, tanquàm eius partem includere: quandoquidem inquiebat Plato animam in membra diuidi, quorum vnũquodque ex eodem, altero conſtat, & ſubſtantia. Quapropter ad vires ipſas confugiendum erit, vt reliqui omnis Platonis interpretes putant, quas dicunt eſſe ſeptem.

Quæ ſint animæ membra ſeptem, Platonice manifeſtatur. Cap. IIII.

INTER Platonicos quanuis de membrorum numero nullum verſetur diſſidium, quæ tamen ſint illa diuerſo à diuerſis exponitur modo. Quidã enim has arbitrati ſunt eſſe animæ facultates. ſ. vnitatem, intelligentiam,

voluntatem,rationem,imaginationem, connectendi,generandiq; vires. Quas quidem facultates ſeptem ſuperius enumeratis generibus correſpondere voluerunt ſcilicet vnitatem eſſentiæ, voluntatem infinitudini,intelligentiam termino, rationem alteri, vim generandi motui, ſtatui tandem nectendi facultatem. Verum in his dictis multa licet peccata deprehendere. Vnitas enim nō eſt vis animæ, ſi uim illam dicamus, quæ proximum eſt operandi principium. Et ſi vnitatem inter facultates numerare uoluerimus, non apparet ratio, cur & eſſentiam ab earum numero ſecludamus. Quærendum etiam eſt ab iſtis, quare voluntatem vim animæ ponant, de irascibili, & concupiſcibili appetitu ne verbum quidē facientes. Senſus omiſerunt, qui animæ propterea ſunt cognatiores, quoniam vegetabilibus immaterialiores. Sed ſi quis hanc dicat eſſe Platonis mentem, eas ſcilicet animæ vires enumerare, quæ ſphærarum motricibus conueniunt, unde ſenſus ſunt excludendi: quo nam modo ab hac iſti ſe calumnia tueri poterunt, ſphærarum animas cum cæteris eſſe motrices, quę tamen facultas eſt prætermiſſa ſilentio. Nectendi quoque ratio non eſt facultas, cum per illam neque agat, neque patiatur anima, ſed ad vnitatem pertineat animæ, quam facultatem non eſſe conſtat. Quapropter iſtas animę facultates ſeptem enumerare poterimus ſecundum Platonicos intelli-

gentiam, rationem, voluntatem, imaginationem, appetitum, mouendi, generandiq; virtutes, quatenus hæc animæ corporibus tribuunt.

Quæ ſint penulæ abſcenſui conferentes, enumeratur. Cap. V.

RATIONALEM *animam ex alarum confractione ad interiorem mundum delabi in Phedro dixerat Plato. Alæ quidem frangebãtur, quoniam obliuione, prauitateque grauata, ſurſum amplius eleuata permanere non poterat. Cum autem ad prius intellecta referatur obliuio, & prauitas ſit à vero bono ad apparens cõuerſio; hinc diuinorum indagationem, boniſque deſiderium aſcenſus alas affirmarunt platonici; quarum hæc quidem ad voluntatem, illa verò pertinet ad intellectum. Intelligentia igitur, & voluntas alæ ſunt aſcenſui conferentes; quinetiam earum tantum beneficio mundum illum conſcendimus intelligibilem. Quæ autem ex alis dictis duabus nos altius ferat, arctiusque Deo coniungat, quáue perfectiori ratione priſtina beatitate donemur, non eſt quidem facile iudicare. Verum ſi platonicam diſciplinam, & veritatem ipſam animo æquo perpenderimus aſcendendi facultatem voluntatis po-*

tius munere, quàm intellectus nobis deprehendemus confluere. Animæ nanque parentem immediatum, ac effectorem licet mentem primam fuiſſe platonici dixerint; primum tamen ipſius, aliorumque principium ſummum eſſe bonum, in libro de primo enuntiato ſummi boni diffuſe admodum declaraui. Quoniam autem apud platonicos principium, & finis operam ſibi mutuam tradunt, hinc ap ſummum bonum, tanquàm ad finem, & ſcopum, in quo noſtra conſiſtit fœlicitas, anima ſe aſſequendum accingit: & quia bonum eſt voluntatis obiectum, Deum igitur, in quo ſimpliciter, & vltimate beatitudinem noſtrã Theologi collocant, licet intelligamus vt vnum, actu tamen voluntatis vt bonum, & finem noſtrum aſſequemur. Hanc eandem veritatem ille deprehendet facillime, qui aſſimilationis, & vnionis actum cognoſcere poterit. Nullus quidem ambigit vnionem, vel transformationem in rem aliquã nobis nexum fortiorem aperire, quàm ſignificet aſſimilatio. Sed actus intelligendi aſſimilat, quoniam non res ipſe, ſed earum ſpecies ſunt in anima: actus autem amoris eſt rei vnire, in illamq; transformare. Vnde diuinè admodum libro de diuinis nominibus capit. quarto ex Hierothei ſententia inquiebat Dioniſius amorem omnem ſiue diuinum, ſiue angelicum, ſiue intellectualem, ſiue animalem, ſiue naturalem uni-

tiuam eſſe uirtutem. Hic .n. propterea dicitur tranſformare, quòd ſui ipſorum eſſe non permittat amatores, ſed eorum, quæ ipſi amant. Amorem igitur, boniq; deſiderium non ſolum cæteris furoribus præſtantius eſſe Plato affirmat in conuiuio: ſed in Phædro quoque ipſum ideo dixit alatum, quoniam (ut in contex. ſuper Phædrum cap. 29. exponit Marſilius) uel ſolum, uel maxime omnium nos eleuat ad ſublimia. Quæ quidem eleuatio cũ animis inde profectis neceſſaria ſit ad ſalutem: hinc ibi amorem Plato neceſſitatem appellat natura uolatilem. Et licet res ita ſe habeat, cum tamen ad ſpeculationis menſuram illa ſequatur huius amoris, deſiderijq; magnitudo: hinc de hac ala oratio habebitur in ſequẽtibus.

De Intellectus humani obiectio platonica explicatur ſententia. Cap. VI.

AB HVIVS autem intellectus progreſſi obiecto exordiens, ea nobis occurrunt perpendenda, quæ de animæ deſcenſu dixerunt platonici, eam ſcilicet à mente ad rationem cadere. Vnde ſicut quantum ab ſubſtantiã eſt imperfecta, cum ex uniuerſali iam facta ſit particularis: quinetiam (vt lib. de Anima, & Dæmone Proclus inquiebat) anima corpori præſidens, peſtilentem

lentem

lentem incolat regionem, egrotet, & langueat, quod etiam ſæpe Tyrius confirmauit: hinc aliud ſibi aſſignant obiectum, huic accommodatum ſtatui: hoc autem eſt non eſſentia, ſed imago rei, quemadmodum eodem lib. Proclus affirmauit. In patria enim rerum perſpiciebat eſſentias, non extra uagabatur per argumentando, impartibili tandem ſpeculatione potiebatur. Sed cum iam lapſa eſt in corpus, priuatur ſapientia, in obliuionem cadit, & errorem, aliam de rebus cognitionem aggreditur, partibilem ſcilicet quare aliud habet obiectū, quod eſt imago rei. Hinc dicebat Proclus animam quæ attentius in patria uiderat, hic eorum imaginis contemplari, argumentando extra uagari, quod ſenſuum beneficio aſſequitur anima. Hoc idem ſermone primo declarauerat Tyrius inquiens, intellectū non purgatum à ſenſibus adeo diſtractum eſſe, ut nihil eſſe dicat, niſi quod audiri, uideri, guſtari, olfieri, tangiq; poſſit. A ſenſibus igitur hæc ortum habet cognitio: unde lib. de ſubſtantijs cognoſcentibus cap. ſexto dicebat Plotinus animā in corpus lapſam uti perſuaſione in animo, ut in imagine exemplar contempletur. Verum duo ſub imagine continentur, quorum unū directè reſpicit illam, ut quodcunque ſenſibile: aliud indirecte, ſicut eſt iſta, & abſtractum. Si enim anima iam à ſe ipſa progreſſa, & plebis aſſueta moribus, eſſe nihil affirmat, niſi

quod eſt ſenſibile: obiectum igitur proprium eſt ſenſibile, in quod inſpiciendum immediate fertur qui noſter eſt intellectus. Se ipſam quoque cognoſcit, atque diuina: ſed ſui duplicem habet cognitionem. Prima enim eſt, cum ſe alterius eſſe cognouit, altera cum quòd ſit ipſa, comprehendit, qualis, & quæ ſit. Ad quam quidem ſui cognitionem duplicem duplici quoque medio peruenit, probabili ſcilicet & neceſſario: duplici etiam ſe nominans nomine: nã mens dicitur, atque ratio. Ratio quidem cũ ab imaginatione rerum ſuſcipit formas: mens uerò, cum inſitis à ſuperioribus formis uiuit. Quando eſt ratio, obliqua eſt: cum mente uiuit, decipi nequit. Quãdo ratione diſcurrit, ſe ipſam quòd ſit alterius proſpicit, quòd per intellectum perficiatur, & tandem quòd ſe ipſam intellectualem animaduertat eſſe uirtutem. Hæc ſui eſt imago, hæc imperfecta ſui cognitio, probabili quadam ratione, ac à poſteriori decerpta: nam (ut lib. de anima, & Dæmone Proclus inquiebat) ab altioribus ad uires, ab his ad eſſentiam tandem conſcẽdit anima cognoſcendam. Verum cum imaginationem transfert in intellectum, mens ipſa eſt, quæ collatis ſibi diuinitus formis, quę, qualis ve ſit, intuetur: & (ut ibidem dicebat Proclus) ab eſſentia uires, & ab his indicat actiones. Hoc maximus ille Tyrius ſermone primo, & alibi nobis confirmauit: & lib. de ſubſtantijs co-

gnoſcétibus cap.ſexto his uerbis oſtendit Plotinus. At qui quam diu in ſuperna extitimus regione, in ipſa mētis natura ſufficienter inde nos habebamus, & in unum omnia colligentes, contemplabamur. Intellectus enim erat, qui tunc intelligebat, anima tunc quietem agebat, actioni, officioq; mentis rite concedens. Poſtquam uero huc deuenimus, uiciſſim animo perſuaſionem inducere exoptamus, tanquā exemplar in imagine contemplari uolentes. Et paucis interpoſitis inquit. Transferat ergo imaginem in uerum intellectum, qui ſanè idem eſt atque illa, quæ uerè intelliguntur, uereq; ſunt, & prima.

An ad Diuina hic intellectus progreſſus ſe conferat cognoſcenda, declaratur. Ca. VII.

MAXIMAM *quidem iacturam in deſcenſu patitur anima; quam tamen tantam eſſe non eſt dicendum, ut diuina olfacere nequeat. Vnde cum ex indiuidua quoque natura conſtet, ſicut & ex diuidua: quinetiam ſi (ut lib. de anima, & Dæmone Proclus inquiebat) prēter naturā degit in corpore: quod ſenſibus ſubiacet, proprium animæ non erit obiectum. Verum quam de diuino iſto obiecto ipſa cognitionē habeat, ex dictis facile deſumi poterit. Si enim ſe ipſam*

ignorat, & non quòd ipſa ſit, ſed alterius percipit eſſe: diuina quoque non intuetur, ſed à poſteriori progredietur. Modum autem hunc procedendi partibilem, & ex ſenſatis ſermone primo dixerat eſſe Tyrius. Res namq; in inanimatas partiri debemus, & animatas: has autem in uegetabilem, atque ſenſibilem, partim quidem rationalem, & partim irrationalem. Verum cum rationalis inferiores cæterat colligat facultates, & contineat, & hanc ſupera pars intellectilis, mens a philoſophis nuncupata, nec ulterius progredi licet: reliquum eſt igitur (ibidem Tyrius inquiebat) ut quodam modo in arcem unã cum ratione aſcendentes, in ipſa mentis præſtantia Deum ſtatuamus. Mentem uero adhuc arbitrabatur Tyrius eſſe duplicem: una quidem intelligendi uim habet à natura, actu tamen non intelligens: altera uero non tantum uim habet intelligendi intrinſecam, ſed ſemper etiam, atque ſimul intelligit omnia: ac ſi prior in loquendi, ſecunda uerò in uidendi facultate conſiſtat uel (ut commodius res iſta dilucidetur) diuina mens ſit inſtar ſolis, quæ uno intuitu ſimul quodcunque perſpiciat. humana uero pro uiatorum more non niſi longiſſima mora, temporibusq; diuerſis uniuerſi partes cognitione percurrat. Ad hanc autem mentem, ab Attico uniuerſi parentem, atque opificem nuncupatam, licet perueniamus: ipſius tamen nomẽ cum eodem At-

tico enunciare non poſſumus: nec colorem proferre, quem non uidimus: nec tandem oſtendere magnitudinem, quam nũquam attingimus. Hæc enim cum ad corporis naturam pertineant, & ſint ſenſibilia, quę quàm longiſſime mens illa diuina ſuperat: hinc huius aſſenſus rationem ſenſibus complicatam nobis ducem conſtituentes, ad exactiſſimam illius ſpeculationem minime conſcendemus.

De intelligendi difficultate. Cap. VIII.

QVAE autem, quantaq; ſit intelligendi difficultas, ex dictis facile conſtat. Si enim (ut lib. de anima, & Dęmone placuit Proclo) Circis pocula bibit, ſi iam peſtilentem incolit regionem: non poteſt non languere, non poteſt enſuum culpa à ſpectaculis proprijs non prohiberi. Hoc ſermone primo luce clarius nobis expreſſit Tyrius, inquiens quòd tunc ſigillatim cognoſcit anima & cum tempore, à ſenſibus auxilium petens, quorum ita indiget ope, ut ſermone 28. dixerit Tyrius ipſorum culpa animum in lucem partum edere non poſſe: nam accidit quandoque præ dolore mulierem è uita decedere. Sed quid plura? animus non purgatus à ſenſibus diſtrahitur, in corporis immergitur, atque adeo labitur intra, ut cum circa ſenſibilia tã

tum verſetur, à Circe quidam in lupum conuerſus eſt ſecundum uitam, alius in ſuem, reliqui in aliam quandam bruti ſpeciem ſunt cõuerſi. Huius autem rei ſermone primo cum Cabaliſtis cauſa aſſignatur à Tyrio, quoniam cupiditatum multitudo rerum ſpeculationem impedit, illam præſertim Dei.

De quodam intrinſeco intelligendi principio Platonice habetur oratio. Cap. IX.

DESCENDEBAT *anima ex Platonicorum ſententia obliuione grauata, & profundiſſimo ſomno immerſa, à quo duplicis principij munere ipſam excitari dixerunt Platonici. Primum quidem animæ intrinſecum ipſi crediderunt, notionum ſcilicet omnium ſeminarium: alterum autẽ nihil eſt aliud profectò, quàm intellectus diuinus, ſummi boni filius, totiusq; uniuerſi lumen illud ſplendidiſſimum. Primum aſtruebat Proclus, cum lib. de anima, & Dæmone cauſam aſſignabat, quare penitus ignari quidam quærendo ulterius non progrediuntur: quæ quidem eſt, quoniam iſti duplici laborant ignorantia: una eſt, quia in ſe habent inſitas rerum omnium notiones, quas arbitrantur ſufficere: altera propter obliuionem ignorantiæ. Et in eodem lib. inquirebat*

totum Platonis conſilium eſſe, nos in ipſam noſtri cognitionem reuocare, atque demonſtrare eſſentiã noſtram in ſpeciebus, rationibusq; conſiſtere, ſcientias & ſe producere, & in ſe ipſa ſpecies omnes diuinas, & naturales agnoſcere. Nec unquam à ſenſibilibus cognitionem de ſumi concederet Proclus: nam uarietas unum obumbrat, alteritas obſcurat identitatem, ſimilitudo obfuſcat ſimilitudinem: quãdoquidem circa materiam ſpecies ſunt confuſæ, & meliora deterioribus ſunt commixta. Plotinus etiã lib. de ſubſtantijs cognoſcentibus cap. octauo uoluit intellectum proprio lumine omnia intelligere, ſicut & oculus proprio lumine lumen aliud aſpicit. Et lib. de contemplatione cap. quinto eaſdem ponit in anima rerum omnium notiones, quibus ipſa procedit in actum. Sed quoniam ſpecies iſtas anima poſſidet imperfectè; idcircò quærendo progreditur: & quia magis poſſidet quam natura; quietius poſſidet, & adipiſcitur; quoniam ſine motu, & tranſmutatione; inter intellectuales autem ſubſtantias, quæ magis poſſidet, tanto magis quiete poſſidet, tantoq; magis eſt contemplatiua; quouſque ad glorioſum Deum perueniamus. Sed quid plura? Plato in Phędone animam immortalem eſſe nanciſcitur ex reminiſcentia. Vnde maximus ille Tyrius ſermone 28. quæ de anima dixerunt Platonici, colligens, hominum uitam arbitratus eſt eſſe ſomnium. Ani-

mus enim in corporis demergitur, qui præ nimia ſatietate, atque crapula uix rerum ſomniare poteſt eſſentias: ac ſi cum Pythagora uelit animũ, antequam corporis ingrederetur, uitã habuiſſe, reruuq; omnium ſcientia plurimum uoluiſſe.

Quo nam modo concreatæ notiones deſeruiant intellectui, explicatur. Cap. X.

SED quo nam modo illius ſeminarij beneficio ad ſcientiam nos ipſos reducamus, duplici ſimilitudine Tyrius manifeſtat. Sit enim aliquis, qui uidendi potentiam habeat, quique uiſione priuetur, quoniam nebula inſtrumentum uidendi impediatur: accedit medicus nebulam remouens: hic profectò uidendi uim non tribuit, ſed impedimentum reiecit. Pari ratione integra iam exiſtens anima, in corpus labitur, Circis pocula recipit, in errorem cadet, & obliuionem: ars tandem rationis accedit, quę ſcientiam non tribuit, ſed remouet impedimentum. Concludit igitur nil aliud inuentionem eſſe, quàm opinionum uerarum excitationem. Sicut enim exercitu ſomno grauato, & dux tantum uigilans ſingulorum ingreditur tabernacula, & excitat omnes: pari ratione ex deſcenſu animi cogitationes opprimuntur grauiſſimo ſomno, ſo-

la ratio uigilat, & in ordinem ducit. Opprimuntur quidem cogitationes obliuionis culpa: at eſt excitatio ipſa reminiſcentia, quę fit, quotieſcunque animus alterum uenatur ex altero, præſentibusq́; rebus admonitus, manu quodam modo ad futurarum conſiderationem perducitur. Rem iſtam altiſſimam hac etiam ſimilitudine clariori patefacit Tyrius. Prægnantem enim dicit animam, ubi multa concurrunt: ſemen, cum unumquodque generetur à ſibi ſimili in ſpecie. Doloribus angitur mulier prægnans, & obſtetricis indiget opera, quæ dolores minuat, & partum in lucem educat. Sit igitur animus prægnans, mens animi conceptio, dolores ſenſus, obſtetrix ratio, ſemen tandem uerarum rerum notio. Sed ſi fœtus in lucem perfectus prodire nequit, hoc quidem uel obſtetricis accidit imperitia, uel dolorũ uehementia, uel ſeminis ignauia. Concludit tandem maximus iſte Platonicus nihil aliud eſſe hominum ignorantiam, quàm huius ſeminis ceſſationem.

De huius principij neceſſitate Platonica recenſetur ſententia. Cap. XI.

PLVRIMAE quidem ſunt rationes, & illæ quidem non leues, quibus menti ſpecies eſſe congenitas contra Epicurum Platonici aſtruant. Maximus enim Tyrius ſermone. 28. hac utebatur ratione, nam ſi quæ natura fiunt, non ſolum oriuntur ex ſemine, ſed ſeminis etiam ſecum deferunt ſimilitudinem, ut hominis homo, & oleæ olea: animus quoque ſi ueritatē intelligit, rerum uerarum ſeminibus ut ſit imbutus neceſſarium eſt, quæ ſint, ſemper ſint, & quidem immortalitate donentur. Quare nullo nomine alio ſcientia eſt appellanda, niſi floris, ex animi ſemine fœtus cuiuſdam maturi. Lib. autem Theologiæ. ij. cap. tertio ſpeculationem iſtam longa quidem oratione doctiſſimus ille Marſilius proſequitur. Si enim in materia formarum ſunt inchoationes, in natura earundem ſemina deliteſcunt, aduentitias qualitates in corporibus illæ præcedunt naturales, & pars tandem rationalis animę infima eſt fœcunda, corpora formans, ab illis non formata, formarumq; generandarum cōtinet rationes: mens quoque pars animæ noſtrę ſuprema ſterilis non eſt cenſenda, à

corporibus non formatur, nec rationibus ad ſpecies producendas carebit. Quinetiam (dicebat Marſilius) ſicut pars infima, ſingulis corporibus proxima per inſcitas ſibi aborigine rationes ſingula gignit, corporalia: ita & mens incorporalibus, abſolutisq; mentibus proxima, rationes inde inſertas habet; per quas illas producat ſpecies, a corporum paſſionibus abſolutas. Si hac in re animata diſcrepant ab inanimatis, quòd hæc quidem ſolum patiantur, illa uerò etiam agant, & ex ſe proprias actiones ediſcant, ita ut nullus ſit cerui præceptor ad fugam, neque Leonis ad uires ſibi comparandas. Homo etiam inter omnia præſtantiſſimus non aliunde ſcire ſuum hauriet, quàm ab intimis illis rationibus. Addebat Tyrius ſermone. 28. Platonis uerba in Menone habita perpendens, hominem ſcire dupliciter ſcilicet inueniendo, & addiſcendo. Verum ſecluſis notionibus iſtis nihil poterit inuenire: nam ſi quid inuenerit, non utetur inuento, cum nullam ipſius cognitionem habeat. Si autem hominem dicamus addiſcere, ablatis formulis ijs ut in infinitum labamur, neceſſarium erit. Inueſtigabat enim Tyrius an ex ſe ſciat præceptor, uel ab alio: non ex ſe quidem, cum homo ſciat addiſcendo: ab alio igitur, de quo idem infinities erit inueſtigandum. Dicendum eſt cum Marſilio ordinem cognoſcentium, & uniuerſi ſpecies iſtas exigere neceſſario? Ex for-

mis quidem cognoſcentibus iſtud depromere poſſumus: nam ſi Deus per eſſentiam ſuā cognoſcit immobilem, & per mobiles qualitates, & peregrinos ſenſus: mens igitur noſtra per immobiles intelliget qualitates, quæ ſpecies innatę dicuntur. Ordinem quoque uniuerſi iſtud requirere deprehendimus: nam ſi puræ mentes in ſe reſpiciunt, & tantum in alia ſenſus: anima igitur mentis, & ſenſus particeps non modo extra ſe formas, ſed in ſe quoque reſpiciet. Ex ijs autem, & pluribus alijs rationibus depromere ſibi potuit Orpheus omnia Protheo primam naturam indidiſſe. Non inſulſe quoque lib. de Sapientia Tarentinus dixit Archítas, hominem ſapientiſſimum cunctorum animalium eſſe natum, cui Deus rerum omnium ydeas infuderit, per quas mente ualeat notiones rerum non aliter procreare, quam ore per linguam rerum nomina fingere. Diuiene taudem cecinit Zoroaſter paternam mentem animabus inſeruiſſe coniecturalia ſigna.

Quo nam modo notiones innatas eſſe menti Marſilius dixerit, explicatur. Cap. XII.

MARSILIVS ille doctiſſimus, & Platonicæ diſciplinæ imitator diligentiſſimus in com. ſuper Platonis conuiuium, orationem ſextā ex Thomæ Bencij ſententia nobis

exponẽs.cap.13.ueritatis lumen,& notiones iſtas intraneas nobis eſſe non negauit: de modo tamen quid ſit Platonice ſentiendum fatetur non conſtare. Si enim dialogos quoſdam ſcilicet Menonẽ, Phædrum,& Phedonem a Platone adhuc iuniore conſcriptos inſpexerimus,formulas iſtas in animi ſubſtantia,tanquam in pariete figuras, depictos eſſe dicemus. Hanc autem ſententiam licet cum Platonicis alijs ſit ferè ſemper ipſe ſecutus: nunc tamen in aliam diſcedit opinionem, ex Platone ſexto de Rep.decerptam. Ibi enim ſimilitudine iſta filij ſummi boni munus quoddam aperiebat,inquiens, quòd ſi lumine deficiente obiecta non poſſumus cernere, licet inſit oculis uidendi facultas,ipſi ſint ad ſpectandum directi,& abſens non ſit color. Pari etiam ratione licet intellectus adſit, maximo intelligendi deſiderio flagrans,ſitq; præſens obiectum: unius tamen diuini ſolis beneficio pręſentia comprehendimus obiecta: quippe qui ueritatem illis, quę intelliguntur tribuat, & intelligenti uim ad intelligendum porrigat. Et paucis interpoſitis, quæ à nobis intelliguntur à ſuperioribus non tantum ut intelligantur, deſumere dixerat Plato: ſed eſſe quoque, ac eſſentiam ab eiſdem affirmauit profluere. Ex his uerbis ſibi deſumpſit Marſilius, propterea intraneam nobis eſſe ueritatem, & notiones,quoniam circa nos ſemper agat diuinũ lumẽ:

ad quod conuerſa intelligendi facultas, tot diuerſa cognoſcit. Animam enim dicebat Marſilius non ſolum à Deo eſſe procreatam, ſed ab eodem etiam mente, uiq; ad intelligendum inſignitam: quæ tamen uacua eſſet, atque obſcura, niſi diuinum lumen ſibi adeſſet, in quo rerum omnium inſpiciat rationes: unde per Dei lumen intelligit, atque ipſum diuinum lumen agnoſcit: Diuerſa tamen uidetur agnoſcere, quia ſub diuerſis rerum ydeis, & rationibus ipſa intelligit. Quando quis oculis uidens hominem, in phantaſia hominis imaginem fabricat, diutiusq; in ea iudicanda reuoluitur: mentis ſuæ aciem confert ad hominis rationem, in diuino lumine exiſtentem, ſuſpiciendam. Inde ſcintilla in mente protinus emicat, ac re uera natura ipſa hominis intelligitur, atque de cæteris omnibus eodem modo. Itaque per Dei lumen omnia intelligimus: ipſum uerò purum lumē, eiusq; fontem hac in uita uidere non poſſumus. In hoc plane tota animę conſiſtit fœcunditas, quòd in eius penetralibus lux illa Dei fulget ęterna, rerum omnium rationibus, ydeisq; pleniſſima: ad quam quoties uult, uitæ puritate, & ſumma ſtudij intentione conuertitur, conuerſa ſcintillis ydearum emicat.

Hęc doctiſſimi Marſilij reprobatur opinio. Cap. XIII.

A Platonica diſciplina quàm longiſſime diſtare Marſilium, facile comprobatur, cum omnibus in locis (quod & ipſe fatetur ibidem) notiones menti noſtræ ita dixerit eſſe inſculptas, quemadmodum picturæ ſunt in pariete. Marſilius igitur Plotini præſertim adhærens ſententię rationalem animam à ſummo bono per intellectum medium fatetur procreatam fuiſſe, ab utroq; aliquid ſibi deſumentem: nam à bono accipit unitatem, à prima uerò mente ſibi profluit ordo, & pulchritudo in optima notionum iſtarum diſpoſitione conſiſtens. Sed nullus eſt in Platonica diſciplina uel mediocriter eruditus, qui unitatem ſibi propriam poſſidere non affirmet, licet ſummi Dei preſentia conſeruentur. Quare cũ opus intellectus primi ſit etiam ſtabile, ordinẽ etiã poſſidebit, & pulchritudinem. Nec ad diuinæ mentis, uel ſummi boni præſentiam, illiusq; illuminationem eſt confugiendum: quandoquidem ſi hoc affirmare uoluerimus, animam non ſolum nihil eſſe dicemus ab unitate diuina, & intelligibili pulchritudine ſeiunctam: ſed in illa etiam incidemus ab-

ſurda ſnia, q̃ libro illo refert Plotinus cap. primo, in quo intelligibilia extra intellectum non eſſe nititur comprobare. Si enim intellectus naturaliter non poſſidet intelligibilia, ſed ſint ſibi coniugata; ut formulæ iſtę ſint aduentitiæ, ac pulſationes quædam, eſt neceſſarium. Quare ſi intelligentia, ſicut & ſenſus ſit extremorum perceptio: nec iudicare poterit intellectus hoc eſſe bonum, uel pulchrum, aut iuſtum, cum horum quodlibet ſit ab ipſo diuerſum: nec tandem eruat in ipſo iudicandi principia, quibus credat: ſed hæc quoque erunt extra, & ueritas erit ibidem. In hanc eandem ueritatem tunc conſcendemus inſpiciendam, ſi munus animę proprium animaduertere uoluerimus. Ipſa quidem ex ſe, partũ emittens, generandi potentiam largitur corpori, cæteraſq; inferiores potentias procreat: ex ſe quoque producit intelligere. Nanque ſi facultates infimas ex ſe procreando proprio non fungitur munere; naturali ergo facultate in propriam functionem progredietur. Iis quoque uerbis intelligendi modum ibidem aperiebat Marſilius. Quando quis oculis uidens hominem in phantaſia hominis imaginem fabricat, diutiuſq; in ea iudicanda reuoluitur, mentis ſuæ aciẽ confert ad hominis rationem ſuſpiciendam in diuino lumine exiſtentem. Inde ſcintilla in mẽte protinus emicat, ac re uera natura ipſa hominis intelligitur. Si res ita ſe habeat contra multorum, quin-

etiam

etiam contra philoſophorum omnium ſententiam ad uoluntatem noſtram redactum non erit intelligere, cum non omnes aciem mentis diuino lumini ſubſternant illuminandan: ſed illi tantum, qui ſopitis ſenſuum paſſionibus, ad iter aſcendendi arduum ſe accingunt arripiendum. Plotinus tandem lib. de Prouidentia primo cap. 16. & ibidem Marſilius de hac re fidem nobis firmiſſimam faciunt. Quatuor enim ſunt plenitudines, multitudines, ſiue mũdi uidelicet intellectualis, animalis naturalis, & corporeus. Mundi quidem dicuntur, & plenitudines, quoniam in eis eſt ornamentum ex multis collectum. Mundus tandem nihil eſt profectò aliud, quã formatum Chaos. De formatione autem mundi animalis ſuper Platonis conniuium loquebatur. Marſilius, ſub Ioannis Caualcantis perſona primam orationem exponens. cap. tertio, & dicebat. Quemadmodum uerò in Deum mens illa ſtatim nata, & informis amore conuertitur, & formatur: ſic anima in mentem, Deumq; illinc genita, ſe reflectit. Et cum primò informis ſit, & Chaos in mentem directa, acceptis ab ea formis fit mundus. Ex his igitur patet in ipſo creationis principio animę formas illas à mente, ſummoq; bono profluere, illasq; perpetuò poſſidere. Quomodo autem in mente ſint, & in anima formulæ iſtæ, Plotinus lib. de Prouidentia primo, cap. 16. declarauit: Intellectus enim purus

H

ſub ipſa ſtatim unitate conſtitutus, adeò ſibi euadit unitus, ut ipſe formaliter exiſtens omnia, in quolibet ſui ſit totus, ideoq; ipſius omnia in ipſo ſui quolibet comprehendantur, penès quem partes cunctæ ſunt in qualibet non per potentiam ſolum, ſed per actum. Intellectus uerò animalis eſt multitudo quidem uniuerſam, ſed non unita penitus. Licet enim partes eius cunctæ comprehendantur in qualibet: tamen non tam actu, quàm potentia. Hęc ſit igitur huius digreſſionis concluſio, ex illa ſcilicet in bonum & mentem conuerſione prima rerum omnium notiones animæ noſtræ profluere, in ea ſpiritali quodam modo depictas.

Platonis uerba ſexto de Rep. habita exponuntur. Cap. XIIII.

SEXTO de Rep. libro bonum dixerat quidem Plato ijs, quæ intelliguntur dare non ſolum ut cognoſcantur, ſed eſſe inſuper, & eſſentiam elargiri. Hoc idem bonum et ueritatem illis, quæ intelliguntur, & intelligenti uim ad intelligendum affirmauerat condonare. Superius tamen cum ſummum bonum, & ipſius filiũ ad intellectum noſtrum, & intelligibilia ita ſe habere dixiſſet, ſicut ad oculos, & quæ cernuntur oculis

lumen: luminis munus his uerbis aperiebat. Cuius lumen efficit, ut & uiſus noſter, quam optime cernat, & oculis obiecta cernantur. Ex quibus quidem uerbis unà cum Marſilio lib. Theologiæ. 12. cap. quarto hanc excipio ego Platonis mentem fuiſſe. Animam quidem à bono per intellectum medium primum, procreatam in lib. de primo enũciato ſummi boni latius diſputaui. Hanc ex conuerſione ad mentem, & ſummum Deum ex Platonicorum ſententia formulis inſignitam fuiſſe conſtitit. Verum dum in patria uitam agebat anima fœliciſſimam, ſibi potentia ſimul, & actu aderant iſte notiones. Vix autem poſtpoſita pulchritudine diuina inferioris huius tacta fuit amore, cum non amplius actu, ſed potentia illas tantum poſſidet. Sed cum ſummum bonum ſterile nequeat eſſe: quinetiam (ut libro de anima, & Dæmone Proclus inquiebat) ſi uſque ad poſtrema deſcendit illuſtrans omnia, conſeruans, exornansq́;, & interim ad ſe conuertens. In mentis etiam arcanis, & quidem maxime lucet, tum eius aciem purgans, acuens, illuſtrans, accendensq́; aſſiduè: tum formulas illas uiuificans, quò iam uiuatiores effectę, promptius palàm erumpãt, ac mentis acies Deo irradiante ſuccenſa, lucidius, ardentiusq́; inſpiciat. Huic autem ueritati conſonat illa Platonis ſimilitudo, quòd ſcilicet ſi luminis beneficio ad uidendum uiſiua potẽtia redditur aptior,

& clarius obiecta cernuntur: diuini quoque luminis munere & intelligentis potẽtia facta eſt efficacior, & formulæ de potentia tranſierunt ad actum. Quomodo autem res ita ſe habeat, lib. Theologiæ. 12. cap. quarto, hunc in modum declarabat Marſilius. Animam quidem rationalem expreſſam intellectus primi imaginem dixerunt Platonici: in intellectu autem primo duo diligenter conſideranda monebat Marſilius, uim ſcilicet fœcundam, & ydeas, uirtute illa conceptas. Per uim igitur illam uirtutẽ preſtat, ſeruatq; menti, per quam ydeas attingit intelligendo: & per ydeas iam conceptas imprimit Deus, & ſeruat menti formulas ydearum. Si autẽ de illa mentis noſtræ ſpeculatione loquamur, qua non rerum imagines, ſed earum contemplatur eſſentias & ydeas attingit: tunc illas profectò menti naturaliter inſitas non affirmo, quas ideo inſpicit anima noſtra, quoniam in mentem conuertitur, ab illaq́; formatur arctiſſimè, atque efficaciſſimè. De hac ydearum inſpectione ſexto de Repub. his uerbis loquebatur Plato. Quando enim illi inhæret, in quo ueritas, & ipſum ens emicat, intelligit illud atque cognoſcit, intellectumq́; habere uidetur. Sed cum ad id fertur, quod tenebris eſt permixtum, quod ſcilicet generatur, atq; corrumpitur: eius obtunditur acies, opinionesq́; uerſat uarias, ac mentis expers eſſe uidetur. Ad ipſum igitur intelligendi actum hęc ne-

ceſſaria eſſe concluditur, Deum ſcilicet & primam mentem tanquam commune agens, & primum: formulam tanquam agens proprium, & ſecũdum: & ſimulachrum tanquam incitamentum. Mens uerò tenet locum materiæ.

De intrinſeco alio cognoſcendi principio Platonicæ recenſetur ſententia. Cap. XV.

PROPIVS ad intelligendi principium accedentes Platonici, duplex etiam ad miſerunt intelligendi principium, unum ſcilicet proprium, commune alterum. Proprium illud eſt profectò, de quo lib. de anima, & Dæmone dicebat Proclus circa nos ſemper agere, ſemperq́; intelligentiæ lumen præbere, licèt propter paſſionum tumultum non animaduertamus. Sed uix erunt ſedatę paſſiones, & uitam tranquillè cęperimus agere, cum nobiſcum loquitur, ſuamq́; uocem communicat, ante nobis ſilentio pręſens. Hunc lib. de Tribus ſubſtantijs cognoſcentibus cap. tertio, dicebat Plotinus, rationi ſemper adeſſe, ipſamq́; uelut propriam formare matteriam, quem etiam rationis patrem appellat. Intellectum hunc proprium ex Plotini ſententia lib. Quid animal, & quid homo, cap. octauo illum eſſe dicemus quem totum unuſ-

quiſque habet in anima: quinetiam (inquiebat ibidẽ Marſilius) ideo dicitur proprius, quoniã eſt animæ noſtræ apex. Hic agentis nomine dignus cenſetur à Platonicis: nam ſi ad rationem referatur, agit, formulas illas uiuificans, & rationem ad diſcernendũ promptiorem reddens, licèt & ipſe ab intellectu primo illuminatus id muneris exequatur. Huius intellectus nos formulas poſſidere duplici ratione ibidem affirmabat Plotinus, in anima quidem uelut explicatas, et ſegregatas, in intellectu uerò ſimul omnes. Hinc eorum, quę ſupra dicta ſunt à Plotino, interpretationem colligens, in animali mundo non quidẽ ratione totius animæ, ſed ipſius apicis, & mẽtis cauſa partes eius cunctæ in qualibet comprehendi crediderim. In ſe quoque conſideratus hic intellectus non à Plotino ſolum, ſed ab Aegyptijs etiam referente Iamblico agentis nomine dignus habetur, quippe qui in pueris etiam circa diuina ſemper agat, & illa quidem intellectione perpetua contueatur. Pluribus autem, & illis quidem efficaciſſimis rationibus ad hoc aſſerendum ducebãtur Iamblicus, Plotinus & Theodorus. In nobis enim poſſibilem intellectum animaduertimus eſſe, qui ad actum præter communem non niſi per quendam exiſtentem in actu, & intrinſecus deduci poterit, ne rationali animę deſit efficax intelligentię ſuæ, & intimum, ſufficienſque principium, quod uegetali non deeſſe conſpicimus.

Hunc autem intellectum agentem in actu eſſe non tantum ratione ſui dicimus, ſed etiam quantum ad intelligendi actum: nam quæ ſecũdum ſe talia ſunt, ea ſemper talia eſſe uidemus: ſed ſecundum ſe rationalis anima eſt intellectualis: ſemper ergo intelligit, ſicut & ſemper calet ignis. Quinetiam ſicut eodem actu Sol Lunam illuminat, & ipſa illuminatur inde, reſpicitq́; ſolem: ita etiam idem eſt actus quo & diuina mens creat, & mentem noſtram illuminat: & noſtra creatur, illuminatur inde, & intuitu illuc quodam naturali conuertitur. Diuinè igitur dixerat Iamblicus intellectus noſtri eſſe nil quidem aliud eſſe, quàm numina intelligere. Mediam quoque inter diuina, & ſenſibilia animam rationalem Platonici omnes aſſeruerunt: non igitur corporis ſemper hærebit anima, nè cognitioné quãcunque remoueamus ab ipſa. Nec ſemper hæret menti, ſi uitam corpori debet elargiri. Quare corpori ſimul hærebit, & menti; ſemper largitur uitam, intelliget etiam ſemper. In anima tandem rationali hęc tria deprehenderunt Platonici ſcilicet imaginationem, rationem, & mentem. Sed imaginationis circa mobilia auerſatur mobilis actus: & rationis circa immobilis: ille igitur mentis erit circa immobilia immobilis. Ex his igitur nobis depromere poſſumus, quòd ſi congenitis notionibus ſecluſis à ſingularibus uniuerſales conceptiones à loco, temporeq́;

ſemotæ non deliguntur, nec ex contingentibus, & fluxibilibus entibus quædam ſempiterna eſſe uenari poterimus: nec quo modo ſint ſempiterna, nō ſempiternitatem ipſam, non eius deniq́ue rationem unquam poterimus apprehendere.

Quod nunc determinata uidetur infringere, proſternitur funditus. Cap. XVI.

VERUM qui ex ſenſibilibus cognitionem omnem uenari ſemper ſtuduit, tantum abeſt ut huic Platonicæ determinationi fidem adhibeat, ut eam potius commentum quoddam arbitretur, & opinionem dicat fuiſſe Chimericam. Nanquè ſi ſemper intelligeret mens noſtra, fieri quidem non poſſet, quin actionem iſtam perpetuam animaduerteremus. Perturbationem iſtam lib. de Beatitudine ca. 10. diuinè admodum ſedauit Plotinus, in incommodum delabi non putans, ſi mētem noſtram diuina ſemper dixerit ſpeculari, licet id muneris nos minimè ſentiamus. Nam ſicut in animali noſtro, idem eſt fermè ſecundum uegetabilem uiuere facultatem, quòd uegetare: nos tamen non animaduertimus hanc uim agere, & in hanc quomodo exeat functionem. In mente quoque noſtra idem eſt uiuere, atquè intelligere: neque tamen

actionem eius æternam agnoſcimus. Huius autem rei cauſam aſſignat ipſe breuiſſima oratione nobis expoſitam: quoniam non peruenit ad uim aliquam perſentientem. Vim iſtam perſentientem medium quoddam lib. Theologię. 12. cap. quarto, nuncupauit Marſilius: nihil ibi nos animaduertere dicens, niſi quòd in uires medias tranſeat, quas ſuper lib. Quid animal, & quid homo cap. ij. duas eſſe Marſilius dixerat, imaginationem ſcilicet & rationem. Imaginatio quidem inter irrationalia, & rationalia mediam ſibi uendicat ſedem: & eſt medium aggregati, reflectere imagines. Ratio uerò eſt medium animæ reflexionem ſagaciter apprehendens. Cum igitur circa oppoſita uerſatur imaginatio, nec intellectus actum circa diuina, nec illum rationis circa intellectum tunc à nobis cognoſci exiſtimauit Plotinus. Si autem in rationem uacans ab animali ſe conuerterit imaginatio, tunc per ipſam animus rationem aliquid agere iam perſentit. Quòd ſi ratio conuertatur in mentem, quod (ut inquit ibidem Marſilius) accidit in beatis: tunc & rationem circa mentem noſtram, & hanc circa diuinam uigilare animus ſtatim animaduertit. Quare autem temporaria iſta indigeamus animaduerſione, hanc Marſilius cauſam aſſignabat: nam cum in intellectu idem ſit uiuere, quòd cognoſcere: hinc idem eſt cognoſcere penitus, & agnoſcere. Quod quidem cum non

accidat in ratione, & anima diſcedens à mente lapſa ſit in rationem: hinc non eodem actu cognoſcit, & agnoſcit, ſed per poſteriorem quandam facultatem, per imaginationem ſcilicet poſt cognitionem agnoſcit. Quis autem ſit iſte agnitionis modus ſatis accommodato exemplo exponitur à Marſilio. Nanque ſicut facie continetur oculus, ſic ratio mente. Et ſicut non uidet faciem oculus, nec eius motum animaduertit, niſi quando in ſpeculum certo modo nobis oppoſitum radijs faciei diriguntur, atque inde per ſimiles angulos reflectuntur ad oculum; & ſpeculum ita oſtentat imaginem, ſi quam modo habet imaginem. Eodem quoque pacto (inquiebat Marſilius) ratio ſicut oculus neque uidet mentem, neque agere illam animaduertit licet ſemper agat, niſi actus eius agat nonnihil in imaginationē aliun de diuerſam, illuc uerò conuerſam: quo quidem actu ab imagi natione in rationem reſultet ſuperioris actionis imago.

De quodam extrinſeco cognoſcendi principio Platonice habetur oratio. Cap. XVII.

De ſvmmi boni filio orationē inſtituentes Platonici, duas à principio in ipſo animaduerterunt proprietates, ſpeculatiuam quidem unam, quaſi practicam alteram. Primæ quidem proprietatis cauſa Vranon in Cratilo, in lib. de Regno Saturnus dicebatur à Platone. Propter alteram uerò lib. de dubijs animæ tertio Iupiter nuncupatur à Plotino. In quarto legum, ipſum cuncta rectè diſponere dixerat Plato. In Protagora clemens humanarum, diuinarumq; legum dator. In lib. tandem de Regno animorum conuerſor appellatur. Animorum quidem propterea conuerſorem poſſumus nuncupare, quòd (ut lib. de ſubſtantijs cognoſcentibus cap. octauo dicebat Plotinus) de diuinis præſertim diuini luminis munere aliquid cognoſcamus. Modus autem quo nos intellectus primus conuertat, & ornet in argumento lib. de pulchritudine oſtenditur à Marſilio. Ab intellectu enim primo influxus quidam in nos deriuant uel per modum ſolaris radij, uel uocis, & ſoni, uel ſignificantis uerbi pro ut exiſtit ſibi ſubiectum ingenii. Animi quidem philoſophici influxu illo trahuntur,

qui ſibi ab intellectu, ut prima intelligentia prouenit per modum ſignificantis uerbi. Animi autẽ amatorij influxu illo ſolari trahuntur ad mentem, qui ab intellectu, ut eſt prima eſſentia, profluit. Illi tandem ingenio muſico præditi influxu per modum uocis, & ſoni deducuntur ad ſupera. Plurima quidem alia forent de hac re dicenda, quæ in lib. tamen de primo enunciato ſummi boni primo, cap. 12. latius explicaui.

Iam dicta comprobantur. Cap. XVIII.

PLOTINVS *lib. Quid animal, & quid homo cap. octauo in nobis tria cõſpexit ſcilicet imaginationem, rationem, & intellectum. Eſt quidẽ imaginationis noua quodãmodo diſcere: rationis recolere cognita: intellectus tandem actu ſemper cognoſcere. Ex his animã cognoſcimus eſſe mediam, extremaq; mundi partes unire: nam per imaginationem unitur animali, & per intellectum proprium illo communi coniungitur. Illud tamen diligentiſſimè obſeruandum, per imaginationẽ uniri corpori uelut formam, efficientem, & finem: per intellectum proprium illo communi ſicut materiam, quę appetat formam. Hinc lib. Quid animal, & quid homo cap. octauo dicebat Plotinus commu-*

nem hunc intelle̅ctũ, licet impartibilem, atq; unũ, eſſe tamẽ eundem ubiq; propriumq; dici poſſe, quo niã ſingulis animabus ſingulis quoque, ac proprijs modis adeſt. Vnitur quidem nobis, & euadit proprius, modiſque diuerſis capitur diuerſorum influxuum cauſa. Quòd autẽ iſtud nobis contingere poſſit, diuini admodum ſuper lib. Plotini an beatitudo tempore augeatur cap. tertio declaratur à Marſilio. Nanquè quod duo conflari nõ poſſint in unum, uel propter dimenſiones utrinque ſolidas nimium accidit, uel propter dimenſiones qualeſcunque, aut tandem propter utrinque repugnantes formas. Sed ferrũ conflatur in ignem, licet tàm ſoliditas, quàm ipſius frigiditas id uideantur impedire. Aer autem ignitur faciliùs, quoniam nec molis denſitas, nec tãta diuerſitas qualitatis adſunt. Sub ſole aer fit lucidus, cum nulla in lumine dimenſio coitũ utriuſque retardet. Cum etiam facili admodum corpus naturaliter preparatum formetur ab anima, hęc formetur à mente facilius; facillimè igitur tùm quoniam nulla reperiuntur impedimenta, tùm quoniam eſt ubique mens diuina, & rationalis anima perpetuo illinc fit influxu, atque ſeruatur, ab hac communi mente formabitur noſtra propria. De qua quidem formatione nonnulla in lib. de primo enunciato ſummi boni cap. 13. ſunt à me dilucidè admodum explicata.

An aliud admittendum ſit intelligendi principium, enucleatur. Cap. XIX.

PLATO ſexto de Rep. Solem luminis cauſam aſſeruit, quæ duo intellectum noſtrum reſpicere uoluit ac ſi eorum beneficio & intellectus ad exequendum munus proprium reddatur efficacior, & dilucidius perſpiciantur obiecta. Ex quibus quidem uerbis id depromere ſibi poſſet aliquis ſummum bonum & ipſum intelligendi principium. Quæſitum iſtud in Platonica diſciplina non leuè hunc in módum arbitror eſſe dilucidandum. Nanque ſi Platonis, Platonicorumq́; ſcripta perpenderimus, ſummum Deum nominibus duobus ab ipſis nuncupatum inueniemus, cum unũ uocetur, & bonum. Vnum quidem, quoniam ſupereminet omnia; quare ut unum non erit intelligendi principium. Bonum autem uocatur, quòd ſe per omnia porrigat; quod cum ex Procli ſententia libro de anima, & Dæmone, ſterile nequeat eſſe, licet in ſe conſiſtens ſit ſupra intellectualem naturam: ad infima tamen deſcendit a cuncta prius procreans immediate, uel mediate, quemadmodum lib. de primo enunciato ſummi boni fuſius declaraui. Deſcendit deinde illuſtrans omnia, conſeruans, exornans, & interim ad ſe conuertens. Inter illa uerò, quæ diui-

num influxum recipiunt, hunc Proclus ordinem poſuit. Primo enim ipſis uerè exiſtentibus adeſt; ſecundò diuinis animis; tertio numinibus, humano generi præſidentibus; quartò animis noſtris, atque deinceps animalibus, plantis, omnibusq; corporibus; ipſi tandem informi materię rerum feci. Bonum quidem clam, ineffabiliterq; ante omnem ordinem proprium munus omnibus exhibet: hæc autem illud ubiq; participant aliter, atque aliter ordine ſuo, & quatenus unumquodque naturaliter aptum eſt, bonum inde reportat. Hoc enim debilius, efficacius illud: hoc uniformius, illud conditione magis partibili: hoc inſuper ſempiterne, mutabiliter illud. Res nanque diuiniores ſicut indiuiduam habent eſſentiam: ſic & bonum indiuiſum poſſident, & unitū. Cum autem naturæ intellectualis ſit anima noſtra: modo igitur intellectuali bonum reportabit ex bono. Quinetiam cum ipſum bonum ſit uniuerſaliſſima cauſa: ad quoſcunque procreandos, conſeruandos, ad eorumq; finem dirigendos, & perducendos effectus principalius concurrat, & efficacius: hinc ad intellectionem in nobis premendam, priores, potioresq; partes obtinere non eſt negandum. Verum ſi tria ſunt rerum principia ſcilicet bonum, mens, & anima: & bono debetur eſſe, intelligere menti, & animæ motus: ſi motum omnē in animā, tanquā in propriū fontē reijcimus, & ad ſummum bonū eſſe, deferimus, & unitatē, intelligēdiq; opem

& auxiliũ ut primæ menti referamus acceptũ, eſt conſentaneum. Et ſi ex tribus cauſis, quaſi in lib. de primo enunciato ſummi boni ex ipſius finitione deprompſi, finalé bonũ ſibi uendicaſſe dixerunt Platonici: à ueritate igitur non aberrabimus, ſi cum ad intellectum primũ fuerit deuentũ in deligendis intelligendi principijs nõ progrediemur ulterius. Summũ enim bonũ, & hunc intellectũ finis nomine dignum cenſebant Platonici, modo tamẽ diuerſo, nec æquali ratione. Mẽs quidẽ illa prima finis eſt ultimus, quẽ aſſequimur intellectu: bonũ uerò, quo fruimur amore, ac uoluntate. Illud etiã hac in re notatu dignum exiſtimarunt Platonici, finẽ intellectus illi ſubordinari uoluntatis, nosq; ad hunc deducere. Vnde lib. de triplici aſcenſu ad mundũ intelligibilẽ cap. I. dicebat Plotinus. Eſt utiq; proceſſio duplex, & ſecunda illorũ eſt, qui iam in loco intelligibili ſunt, ibiq; fixere ueſtigia: oportetq; eos ultra progredi, donec ad ſummũ uſq; proceſſerint. Quę quidẽ uerba hunc in modũ exponebat Marſilius. Rurſus poſtquã ad diuinã mẽtẽ, qui et mũdus intelligibilis dicitur, ſurrexerint, ibiq; per oĩa ydearũ genera ſuo quodam ordine progreſſi fuerint. Tandẽ ex eo mundo egrediẽdum eſt ad ipſum bonũ, quod mundi illius principiũ ſit, et finis. Cauſa eſt (inquiebat Marſilius) quoniam affectat natura cognitionem non cognitionis duntaxat gratia, ſed ut per illam quęrat, inueniat, apprehendat quomodocunque bonum.

STE-

STEPHANI CONVENTII BONONIENSIS

DE ASCENSV MENTIS IN DEVM

Liber Quartus.

In quo de hominis ſtatu ante aſcenſum Peripatetica enucleatur ſententia.

Quid ſit aſcenſus Peripateticè declaratur. Cap. I.

DESCENSVM rationalis animæ lib. miſticæ philoſofiæ primo, cap. ſecundo triplici modo finiebat Ariſtoteles. Erat enim deſiderium quoddã ad hæc inferiora conceptum; hinc ſequebatur in animam mentem noſtram tranſire; unde corpori huic diſſolubili eam coniungi neceſſarium erat. Ex his igitur, aſcenſus finitionem tunc probè nobis deprompſerimus, cum eum dixerimus deſiderium eſſe cœleſtium, animæ regreſſum in mentem, ab hocq; diſſolubili corpore ſeiunctionem. Verum ſi deſcen-

ſus terminis tantum differunt, & aſcenſus: huius principium à corpore ſolutionem eſſe dicemus: unde in mentem, in diuina tandem unius amoris cauſa ſequitur tranſitus, quibus fruitur animus inhęrendo. Platonicè quidem ſeiunctionem iſtam à diſſolubili corpore interpretatus eſt Ariſtoteles, quippe qui eam tunc animam nanciſci uoluit, cum ablatis uiribus accidentium, & à ſordibus purgata corporeis, ad incorruptibilitatem priſtinam ſe receperit. Corruptibilis quidem eſt in corpore anima, quoniã in corporeas exeat functiones. Verum ab iſtis ſeiuncta, idcircò incorruptibilis nuncupatur, quia (ut lib. ſeptimo Theologię cap. ultimo fatetur Ariſto.) corpus adminiſtrat ſine pœna, ipſi ſcilicet pręſidens, et pręter uariabilem mutationem illud gubernans, uniuerſali animæ facta iam ſimilis. In mentem tranſit anima: nam ſi propterea deſcendit, & legi fatali ſubijcitur, quoniam (ut libro primo Theologię cap. quarto inquiebat Ariſtoteles) intellectum ſenſus ſubiugauerat: liberatur autem à fato, & ad diuinã prouidentiam aſcendit, cum intellectus in priſtinam ſe libertatem receperit. Si tandem imperitiæ culpa diuinis præpoſuit hęc inferiora, ſuperficietenus tantum bona. Nunc igitur (lib. ſeptimo miſticæ philoſofię cap. ſexto, & octauo dicebat Ariſto.) in dupli ci mundo uerſata, & geminam peritiam nacta, quippè quæ per experientiam, & cogitationem di-

ſcrimen inter utrunque mundum ponere ualeat: amore reuiuiſcit in diuina, illisq; tenacius hæret in poſterum. Hinc lib. miſticæ philoſofię nono ca. quarto aſcenſum finiebat Ariſtoteles animæ operationem eſſe, qua ipſa his exiſtés, Orbis ſuperni ſpeculatur eſſentias. Hanc eandem ueritatem breui quadam oratione. 10. Ethi. nobis præmonſtrauit Ariſtoteles, animam ideo dicens aſcendere, quoniam relictis inferioribus Deo ſe quàm ſimillimam nitatur reddere: quam ſimilitudinem ſi aliqua fuerit conſequuta, beatitate donabitur, ea tamen quæ ſtatui præſenti conueniat. Hæc autem ſimilitudo nihil quidem eſt aliud, quàm mortalem hanc uitam in illam diuinorum commutare, ſecundum id uiuere, quod optimum, iucundiſſimum, in nobisq; reperitur diuinum. Mens ipſa diuina eſt; ſecundum ipſam igitur uiuere eſt bene, ac beatè uiuere, ſeq; Deo ſimilem reddere. Eſt enim Deus mens quædam, licet adeò præſtantiſſima, ut intellectus noſtri facultatem intelligendi excedat: contemplatione fruitur ſempiterna, quę ab ipſo ſeiungitur nunquam, cum intellectus ibi, res intellecta, & intellectio conueniant maximè, & quid unum ueriſſimè conficiant, eiusq; tandem eſſentia nè tãtillum quidẽ differat à quidditate. Verum ſi nos ſecundum illud optimum uixerimus, Deo ſimilis erimus contemplando: quæ quidem contemplatio, licet ea non ſit, quæ à nobis

non diſtinguatur, ſed mentis ſit perfectio ſuperaddita: illi tamen diuinæ eſt cognatiſſima. Hinc igitur rectè concludere poterat Ariſtoteles eum optime diſpoſitum eſſe, Dijsq́; amiciſſimum, qui ſecundum mentem operetur, & ipſam colat. Hæc Ariſtotelis omnia uerba qui rectè perpenderit, à corpore tantum ideſt à corporeis affectionibus animam ſeiungendam ipſum cum Platonicis dicet aſſerere: unde inter aſcenſum, & deſcenſum quantum ad dignitatem, & liberam operandi facultatem diſcrimen iſtud intelligendum eſſe depromet. Addet etiã præter ea, quæ in animaſticis ſpeculationibus dicta fuerunt, tantum abeſſe ut aſcendendi facultas reijciatur ab anima, ut ex Ariſtotelis potius ſententia libro Theologiæ uix ipſa ſit corpus ſub ingreſſa, cum maturat receſſum: qua in re cum Plotino eſt philoſophatus.

Quid de alis aſcenſui neceſſarijs peripateticè ſit ſentiendum explicatur. Cap. II.

ALARVM confractione ex deſcenſus finitionibus ſignificauerat Ariſtoteles. Si enĩ ut corpori huic diſſolubili coniungatur anima, concipit ad hac inferiora deſiderium quoddam, & mens tranſit in animã: obliuione igi-

tur, atque prauitate grauatam cum Platonicis uoluit ipſam deſcendere. Ex his de diuinis cognitioné, in eaque amorem alas aſcenſus eſſe præmonſtrat. Hanc autem ueritaté lib. miſticæ philoſofiæ ſeptimo cap. octauo his uerbis expreſſerat Ariſtoteles. Aía quælibet cum operando impleuit hunc orbem ſenſibilem ſuis dignitatibus reuertitur ad intellectualé, quem complectitur tenaciter prædita cognitione in dubitabili. Hinc quorundam error cognoſcitur, & Peripateticam nonnullorum eſſe ſentétiam mihi de promo. Quidam enim peripateticam diſciplinā pro fitentes ideo fœlicitatem noſtram intelletui acceptā referebant, & non uoluntati, quod 10. Ethicorum cap. 10. in operatione contemplatiua fœlicitaté cōſiſtere dixerit Ariſtoteles. Sed à ueritate iſtos diſtare crediderim ego, quoniam ab operatione perfecta philoſofi delectationé ſeparare non audét. Vetus eſt etiam opinio philoſoforum omnium firmata conſenſu, quamlibet ſcilicet cognitionem in appetitum referri. Hoc autem in præſenti nobis ſignificat Ariſtoteles, qui ex indubitabili cognitione animā mundum intellectualem completi tenaciter affirma uit: & quia hæc inferiora conſumptibilia eſſe didicit anima in hoc mundo: hinc ipſam in minimis illa ponere uoluit. Nec illos reprehéſione dignos exiſtimarim, q alis his duabus perſpectis, de cognitione ferè tantū mentioné faciunt: nam ex cognitionis men-

ſura delectationis deprehendimus magnitudinem. Tantum igitur abeſt, ut aſcenſum reijciamus in intellectum unum, ut in illo potiores partes uolũtaté obtinere ſit aſſerendum, cũ inter illam, & ſummũ bonum ſolus ſit uoluntatis actus. Illud accedit in intellectus actu, ut talis, beatitaté non conſiſtere, ſed ut uoluntatis obiectũ, & ad ipſam relatus. Si enim actus intellectus aſcenſus motum ſiſteret, ſiſteret et appetitum, nobiſq; delectationé afferret, et uoluptatem: quod tamen ideo falſum apparet, quoniam ſpeculabilem quodlibet in hanc animi delectationé cõijceret, cum à mathematicis tamen bonum, & finem reijcere crediderim Ariſtotelem.

De intellectus progreſſi obiecto peripatetica explicatur ſententia. Cap. III.

QVAMVIS deſcendentem animã longe grauiori ſummo, quàm Platonici dixerint, ex Ariſtotelis dictis opprimi colligaé? ipſam tamen excitari, aſcendere poſſe iam fuit oſtenſum. Dictis autem tunc fidem adhibebimus firmiorem, cum alia multa huic aſcenſui conferentia, ſibi non deeſſe conſtiterit. Penulas quidem eaſdem cum præceptore Ariſtotelem cõceſſiſſe iam manifeſtatum fuit: ſed quod nã primo animę occurrat iam progreſſę, conſiderandum relinquitur. De obiecto

igitur intellectus progreſſi habēdus eſt ſermo: nam non cū cęteris inferioribus potentijs uno, eodemque ſemper modo intellectus ſe habet, quare nō eūdem ſemper operandi modum ſeruabit, nec in idem ferretur obiectum. Accedit aliud ſcitu quidem digniſſimum, reliquas ſcilicet animæ facultates tū quātū ad eſſe, tum quantum ad operari corporis auxilio indigere, cuius tamen quantum ad operari tantum intellectus utitur opera. Hinc peripateticè deducere poſſumus, ſenſui quidē, ac intellectui materiale deberi obiectum: illud tamen ſenſus ſimpliciter immateriale erit, ac ſingulare: cū aliquo modo abſtractū, & uniuerſale illud intellectus cenſeatur. Hoc autē ſi peripateticorum dicta perpēdi, omniaque collegi non unum tantum exiſtimo, quinetiā quadruplex eſſe crediderim. Primū enim formale quod nuncupant iſti, ſub cuius ratione ad potētiā refertur obiectum. Rem iſtam ſatis accommodatum manifeſtat exemplū: color enim formale quod uiſus ꝑpterea cenſetur obiectum, quoniam ſub ratione coloris uiſibile quodlibet refertur ad uiſum. Formale quod ſecundum appellant obiectum, extrinſecum quidem à primo, ſine cuius ope, atque auxilio illud primum non aſſequeretur potentia. Tertium dixerunt materiale, in quo primū conſiſtit, ſicut in albedine color. Addunt tandem quartum, & illud quidem accidētale, quippè quod formali accidat quemadmodum

Socratem dicimus accidere colorato. Ex his tamen quod à principio inueſtigandum erat propoſitum, non licet inferre: ſed potentię cuiuſlibet obiectum adhuc duplex eſſe cenſetur, mouens ſcilicet & terminans. Inter hæc autem obiecta duo eam dicunt peripatetici proportionem reperiri, qualẽ inter ſpeciem uidemus, & genus: nullum enim eſt mouens obiectum, quod non terminet etiam, quod conuerſim proferre non licet. Sed quoniam perquirendum proponitur, quod nam ſit illud, in quod primò intel lectus fertur iam progreſſus: uerbum illud primò, uel primum perpendendum eſſe peripatetici putant; nam & communitatem quandam, amplitudinemq; ſignificare poteſt, & principalitatem indicare. Verum & hoc dupliciter intelligendum eſſe uoluerunt; nam & ex prædicamentis, & ex intelligibilibus omnibus quod eſt pręcipuum, illud primò ſe intellectui offerre poſſumus affirmare. His autem omnibus præacceptis unica cõcluſione quęſitum iſtud perfectè admodum dilucidatur: quandoquidẽ intellectus noſter progreſſus quidditatem materialẽ, ideſt eſſentiam rei ex materia, formaq; compoſitæ reſpicit, tanquam connaturale proportionatum, materiale quod, & motiuum obiectum, primum, ac ex omnibus prędicamentis pręcipuum. Rei quidem materialis quidditatem hoc dicunt eſſe intellectus obiectum, quoniam ſi ex Ariſtotelis ſen

tentia tertio de Anima. 17. contex. hæc reperitur in anima differentia, ut ſit ibi agens, & patiens: ea profectò paſſiua tantum recipiet, in qua agit actiua: ſed in materialia, non in abſtracta munus proprium exequitur intellectus agens: hæc igitur tantum, licet depurata poſſibilis percipiet intellectus. Veritatem etiam iſtam non leui quidem ratione comprobant, qui ad rationalis animæ ſtatum confugiunt. Eſt enim forma, & actus corporis, licet non corporalis: corporale igitur apprehendet, & materiale, licet ad gradum uniuerſalitatis eleuatum. In huius autem quæſiti dilucidatione illud idem licet nobis deprehendere, quod ſermones cæteri à ueritate non diſcrepantes, ſecum ferre conſueuerunt. Proſternit enim & hæc ueritas quæ ipſam parum exercitatis uidentur infringere. Ens enim eſt formale obiectum quod: nam nihil ab intellectu percipitur, niſi ſub entis ratione. Per hoc quidem obiectum uagatur intellectus noſter, cuius eſt omnia fieri, qui nullam habet naturam, niſi poſſibilẽ; quẽ tãdem omnia intelligere tertio de anima tex. quarto dixerat Ariſtoteles. Sed quoniam hęc etiam anima eſt corporis forma: hinc ex mente in animam perfecto tranſit, à ſenſibus hanc cognitionem nouam mendicans, huc, atque illuc per totam entis latitudinem currit, materiali tamen obiecto præſuppoſito. Rectè quoque uerbum illud primum non

communitatem nobis ſignificare uoluerunt, ut obiectum iſtud formale quod excluderent. Nec primum ex omnibus intelligibilibus quod eſt pręcipuũ infert: ſed ex prædicamentis tantum: cuius rei cauſa ab hac perſcrutatione multa depelluntur, entia præſertim glorioſa. Ipſamet etiã rationalis anima, relationes, & priuationes licet curſum terminent intelligendi, ipſum tamen intellectum non mouent à principio. Nec ueritas nos ab hac ueritate depellet, quoniam cum intelligibile quodlibet concomitetur, pro accidentali obiecto cenſetur. Et ſi nihil intelligitur, niſi per ſpeciem ei aſſimiletur intellectus: tunc erit per ſe obiectum. Quoniam tandem obiectum formale quod illud eſt, quod minoris ambitus eſſe nequit, quàm ſcientia, nec ad potentiam refertur, niſi illius materialis motiue ope, atque auxilio: hinc abſurda eſſe affirmata ſuſpicetur nullus, ſi minoris ambitus fuerit motiuum obiectum, cum non eandem progreſſus intellectus de rebus cognitionem ſibi nanciſcatur. Nec materialiorem quidditatem facilius apprehendi, poterit inferre quiſpiam: nam res materialis, quæ ad formale obiectum, ad ens ipſum acceſſerit propius, illa etiam facilius apprehendetur à potentia.

An de abſtractis cognitionem nanciſcatur qui noſter eſt intellectus. Cap. IIII.

REI quidem materialis quidditatē propterea intellectus progreſſi putat Ariſtotelis tertio de anima cōtex. nono eſſe obiectum, quoniam (ut primo de anima particula ſeptima, & tertio par. nona fatetur Simplicius) partibilis ſit eius cognitio: nihil eſt autem partibile, niſi quidditas hæc rei materialis. Ex his igitur dubitandi præbetur facultas, an ſcilicet uiribus proprijs, & intellectus progreſſi ductu diuina cognoſcamus. Partem quidem affirmatiuam non ſolum experientia monſtrat eſſe ueriſſimam: ſed eandem ratio, & Ariſtotelis autoritas perſuadet efficaciſſimè. Ariſtoteles quidem ſecundo diuinorum rei difficultatem aperiens, intellectus noſtri oculos illis ueſpertilionum licet compararit: ab ipſo tamen hāc de diuinis cognitionem, quam & ipſe conſcripſit, non remouet; tùm quia & aliquid lucis perſpicit noctua: tùm quia nono Met. abſtractorum ratione cęcitatem, quæ in non poſſe cognoſcere conſiſtit, in nobis reperiri negauit. Ad hoc idem aſſerendum nos deducit efficaciſſima ratio: quādoquidem ſi ſummum bonum eſt rerum omnium finis, quem natu-

rali quadam propenſione appetunt omnia, & in ipſum feruntur: eundem & nos intellectu aſſequi, & cognoſcere, & uoluntate amplecti, neceſſarium eſſe omnes ſunt arbitrati: alioquin magiſter iſte, & conſultor intrinſecus finem hunc certiſſimum nobis præmonſtrare non potens, ad extrinſecum aliũ nos truderet perquirendum, qui nos de hac re moneret ſummæ quidem neceſſaria, cuius ignorantiã peſtem grauiſſimam, atque perniciem animæ ultimam ſenſerunt philoſofi omnes. Ab hac autem ueritate obiectum iſtud non reijciet, cum enim de diuerſis diuerſam ſibi cognitionem intellectus depromat: inconueniens nullum arbitrantur philoſofi, ſi gradum intellectionis ad id ipſe ſiſtat, quod eum prius non mouit. Cum intelligendi actum abſtracta terminent, licet non moueant: cum Platonicis peripatetici ſentiunt, à poſteriori, ex aliorum ſcilicet cognitione nos in illam diuinorum conſcendere aſſerentes.

Quare diuina tanta cum difficultate cognoſcamus, exponitur. Cap. V.

CVM D. Thomam, & Latinos plurimos Ariſtotelis mentem hac in re non percepiſſe ſemper ego crediderim hinc ad Auerrois interpretationem confregi, quam etiã mul

tos non intellexiſſe alibi luce clarius demõſtraui. Cũ igitur uerba illa de diuinis cognitionẽ non auferant, ſed eam nos tantum maxima cum difficultate præmonſtrent conſequi; hinc perpendendum emergit, undè nam iſta profluat intelligendi difficultas. Ex dictis quidẽ huius quæſiti excipi poteſt dilucidatio; nam quod intelligendi actum terminat, obiectum quod mouet ſuperat, ſub quo continentur abſtracta. Illud accedit formale quod obiectum potentiam nõ poteſt excedere. Cum igitur motiuum, & terminatiuum obiectum ambitus non ſint æqualis, nec inter illud formale quod, & potentiam accommodata reperiatur proportio; mirum uideatur nemini, ſi nec in abſtracta, & alia multa primo fertur noſter intellectus, ſed ea ſecundario, & nõ leui cum difficultate cognoſcit. Extrema quidẽ duo apprehenſionis: difficillimæ formale quod continet obiectum, quę ſcilicet minimæ ſunt entitatis, & maximæ, diuerſa quoque ratione ab intellectu primo non percepta. Cum facile aliquid percipere nihil quidem ſit aliud, quàm rei naturam attingere: & difficile intelligere ſit non bene rei naturam attingere, cũq; rei naturã attingere ſit ab obiecto moueri: hinc ſequitur profectò abijs, quę ſunt entitatis minimę, atque maximæ intellectum ideo nõ moueri, quod (ut inquit doctiſſimus ille Veronenſis Gabriel) illa quidem a natura motionis actiuæ, hæc uerò à natura motionis

paſſiue deficiunt. Hinc igitur illorũ culpa, & in his uirium noſtrarum imbecillitate prouenit intelligendi difficultas. In ſententiam autem Scoti nunquam ego deſcenderem, qui difficultatem intelligendi in intellectum noſtrum tantum reijcere uoluit. Verba enim Ariſtotelis Scotum ad hoc aſſerendam duxerunt, quæ ſunt iſta. Forſan autem & difficultate duobus modis exiſtente, non in rebus, ſed in nobis eſt eius cauſa. Si etiam ex Ariſtotelis ſententia eadem lib. diuinorum ſecundo tex. quarto res ſicut ſe habent ad eſſe, ita & ad cognoſci; cum rem intelligere ipſius entitatem ſequatur: res igitur ex earũ parte percipi poterunt ab intellectu, licet illę entitatis modicæ non ita perfectè. Proprium hoc inuentum exẽplo nobis nititur perſuadere, cum proportione quadam incombuſtibile paruũ munus exequatur ſuũ paruus ignis, quod in maximum maximus. Addũt tandem rationem apud ipſos efficaciſſimam, nam ex Ariſtotelis ſententia lib. de ſenſu, & ſenſili, uiſibili decreſcente in infinitum in minus, ſi uiſus illud percipere debeat, eum in maius in infinitum excreſcere debet: ac ſi minimo cognoſcibili perfectior cognoſcens potentia correſpondeat. Tantũ igitur adeſſe concludunt Scotiſtę ex rei defectu intelligendi difficultatem profluere, ut ſi hoc affirmauerit quiſpiã, res iſtas minimas nec etiam ab intellectu diuino cõprehendi cogatur fateri, ſi quod ſecũdum ſe tale eſt,

cuique comparetur, ſit ſemper tale. Verum huius opinionis falſitas & ex fundamenti debilitate, & ex rationum deprehenditur infirmitate. Quod enim ſub dubio Ariſtoteles dixerat à principio in ſua tranſlatione affirmat Auerroes, duplici ſcilicet ex cauſa intellegendi nos arduum iter arripere; ſed in his tantum, quæ digniorem in poſt naturali ſcientia ſibi uendicant locum, propria culpa intellectum deficere. Nec tex. quarto ad entitatis gradum retulit ueritatem, licet eſſe ipſum, quod præſefert actũ, intueatur: dicebat enim Auerroes. Quanto magis fuerit perfectum in eſſe, tanto magis erit perfectum in eſſendo uerum. Ex his autem uerbis, & Auerrois interpretatione diuinè admodũ ſibi quidam depromunt actum quidem intelligendi facultatem acuere, quam reprimit materialitas: licet modo quodam accidẽtario, ut ferma uehiculum cognitioni noſtræ adiumenti nõnihil uideatur afferre. exemplum autem tunc inuentum illud nobis perſuadere poſſet, ſi combuſtibile paruum contrarijs non eſſet qualitatibus affectum: ſi minus intelligibile illis, quæ cognitionem impediunt, non eſſet immixtum. Ratiocinium etiam eſt infirmiſſimum: nam uiſus facultas organica ex organi affectione diuerſa, cuius ope, ac auxilio proprio munere fungitur, intenſion ẽpatitur, & remiſſionem. Ad abſurdum tandem aliter ſentiẽtes minimæ deducunt

Scotiſtæ, cum maxima illa pro conſequentiæ oſtendenda illatione in medium adducta in abſolutis ſolum, & non in reſpectiuis præſeferat ueritatem, Quare huic quæſito hunc in modũ extremam manum arbitror imponendam, nil ſcilicet aliud eſſe difficultatem, quàm ad diuerſum, & illud etiam contrarium facultatem. Intellectus igitur aliqua cum difficultate ſibi cognitionem nãciſcitur, quoniam in oppoſitum, in ignorantiam ſcilicet & erroneum habitum conſcendere poteſt. In habitum autem oppoſitum ſcientię intellectus declinat, non quidem ut intellectus tũ quia ex tertio de anima textu quarto ipſum nihil latet: tum quia perfectionem propriam naturali quadam propenſione aſſequitur unumquodq;. Illud accedit quòd apparet ibi nulla reſiſtẽtia, quæ ſit ratione contrarij, cum in intellectu nihil ſit contrarium. Laſſitudine confici nequit intellectus ex ſpirituum diſſolutione profluente: quoniam quatenus intellectus immaterialis eſt, à corpore penitus ſeparatus. Ipſi tandem ineptitudinis notã inurere non poſſumus, quem tertio de anima tex. quinto, reſpectu omnium poſſibilem tantum nuncupauit Ariſtoteles. Facultatem igitur ad oppoſitum declinandi ut nobis eſt copulatus, & ut à ſenſibus, rebusq; ſenſibilibus exiſtentibus actu primò mouetur ad proprium actum intellectui noſtro profluere ſenſit Ariſtoteles: nam ex facili, uel difficili

obſequio ſenſuum, quod exibetur intellectui, huic in intelligendo accidit facilitas uel difficultas.

De ſeminario intelligendi principio, quid ſenſerit Ariſtoteles, explicatur. Cap. VI.

QVAE ad intelligendi actum propemodũ ſunt neceſſaria, hęc eſſe dixerunt Platonici, Deum, formulam, rei ſimulachrum, & intellectum noſtrum, quibus munera propria demandarunt. Deus enim ad intellectionem noſtram primam eſt agens, & commune. Formula tanquam agens proprium, & ſecundum. Simulachrum uelut incitamentum. Mens tandem noſtra locum tenet materiæ. Sed quãtum ad formulas attinet, Ariſtotelem à præceptore Platone crediderim ego diſcrepare. Nec enim animam ideo diſcere reminiſcendo dixerunt Platonici, quòd non actu, ſed potentia tantum præhabuerit quæ diſcit, ita ut potentiam ſolam, & naturalem quandam ipſius propenſionem ad diſcẽdum intelligamus, quemadmodum cum Ariſtotele fatetur Simplicius: ſed eã profectò non ex ſenſibilibus, ſed ex intimis ſcientiam ſibi nanciſci uoluerunt. Vnde Proclus lib. de anima, & Dæmone totum Platonis conſilium eſſe dixit, ut nobis oſtendat in ſpeciebus, & rationibus

eſſentiam noſtram conſiſtere: & animam ſcientias omnes ex ſe ipſa producere, et in ſe ipſa ſpecies omnes diuinas, & naturales agnoſcere. Ariſtoteles autem propterea tertio de anima tex. 14. intellectum tabellæ agraphæ comparauit, quòd (ut inquit lib. miſticæ philoſofiæ. 12. cap. tertio) congenitam peritiam non habeat anima, alioquin mundum hũc inferiorem non appeteret. Nec illud Platonicum admittit confugium, ex genefica ſcilicet obliuione deliteſcere, quoniam nihil admitteret aliud, nec ex ſenſibilibus abſtrahendo quicquam reciperet: unde concludebat ibidem docilitatem tantum citrà peritiam pro inſtinctu naturali habere hominem. Huius rei rationem aſſignat Ariſtoteles, quam etiam cognouerunt Platonici, Plotinus præſertim, & doctiſſimus ille Beſſarion. Summum enim bonum rerum omnium principium ingeneratum eſt, ęternum, nullum habens principium, à nulla cauſa dependens, neque à ſe, neque ab alio productum, omni mente, omni eſſe ſuperius. Mens uerò prima, & intellectus primus, à primo quidem bono ut unum producitur, ſed quatenus mens eſt à ſe ipſo. Sed anima à ſummo producitur ut unum aliquo modo; ut mens à prima mente: eſt autem à ſe ipſa quatenus per ſe mobilis. Tunc diuine quidem lib. 12. Theologiæ cap. quinto dicebat Ariſtoteles animam propterea noſtram poſt deſcenſum ex ſenſibilibus co-

gnitionem uenari,adeoq; ſcientijs,& ſpeciebus orbatam,ut aptitudinem tantum quandam, & capacitatem habeat quoniã nõ erudita creatur. Si enim unitatem recipit à ſummo bono,& à mente ſcientiam:dum illis quidem in ſupremo mundo coniungitur,una eſt, & intelligens, memorię tunc opera minimè utens;ſed cum inde ad inferiora deſcendit, labitur in multitudinem,in ſui diuiſionem, & non obliuionem, ſed obruitur ignorantia. Peripateticam hanc ueritatem breuiſſima oratione Simplicius poſuerat nobis ob oculos,inquiens lib.de anima tertio par.prima progreſſum intellectum & quantum ad ſubſtantiam, & quantum ad cognitionem eſſe imperfectum. Quantum ad ſubſtantiam quidẽ quoniam lapſus ſit in multitudinem;quantum autem ad cognitionem,cum in deſcenſu aptitudinem tantum,& capacitatem ſibi potuerit conſeruare. Hæc eſt Ariſtotelis uera ſententia,quam illa Platonis,& Platonicorum longe ueriorem putarim.

Aliorum recenſetur opinio. Cap. VII.

PERIPATETICI autem quidam animi nobilitate ducti, & intellectualis operationis diuinitate commoti, hoc intrinſeco intelligendi principio & ipſam non deſtitu-

tam eſſe dixerunt. Ioannes ergo Grammaticus in prohęmio libri de anima inueſtigandum ſibi proponit, undè nam opinio ſenſibilium cognoſcat uniuerſale. Huius autem quæſiti dilucidationem duplici reſponſione nobis aperuit, inquiens primo. Fortaſſe fieri poteſt, ut ipſa cogitatio ratiocinetur uniuerſaliter de quibuſdam particularibus; & ſi non in omnibus. De illis profectò particularibus, de quibus ſecundo cœli mentionem habens Ariſtoteles dixerat, quoniam luna eſt ſpherica, cætera quoque aſtra eadem eſſe figura prædita. Sed quoniam Procli ſententia identitatem obſcurat alteritas, & ſimilitudinem obfuſcat diſſimilitudo: hinc ſolutioné aliam in medium adducit Philoponus inquiens. Dico tamen, quòd anima ipſa rationis particeps, in ſe rerum rationes conſubſtantiales habet. Verum quia dimerſæ ſunt in materia, ferè ſunt obrutæ, uelut in cinere ſcintilla latet. Quemadmodum igitur cum quiſpiam cinerem aliquantulum fodicauerit, ſcintilla ſtatim reſplendet, neque is, qui cinerem dimouit, ſcintillam fecit, ſed ea ſolum, quæ erant impedimento, obtulit. Eodem quoque modo opinio à ſenſu prouocata rationes exiſtentium rerum proponit. Similiter etiam magiſtros, inquiunt, non nobis in animam inducere cognitionem, ſed quæ in nobis ueluti latens eſt, eam ipſam manifeſtam facere. Plurima uerba alia profundit Philoponus hanc

opinionem declarantia. Quoniam autem lib. de anima tertio contra Plutarchum Hamonij reſponſionem laudans, primum intellectus ſignificatum non ſecundum habitum eſſe uoluit, quoniam diſciplina, non autẽ reminiſcentia eſt noſtra cognitio. Hinc in prohœmio licet animam rationis participem in ſe rerum rationes conſubſtantiales habere dixerit: de complexis tamen ſolum uerba illa intelligenda eſſe uoluit, cum ibi intellectus adumbrationes illas appellet communes animi conceptiones. Verum doctiſſimus ille Chriſtophorus Marcellus tum autoritate, tum ratione non diſciplinam, ſed reminiſcentiam noſtram cognitionem eſſe oſtendit. Autoritate quidem, quoniam ſeptimo de auditu phyſico cõtex. 20. ad ſcientiam non eſſe motum propterea dixit Ariſtoteles, quòd intellectus exiſtẽs in habitu attionibus incitatus prodeat in actum: quod exemplo de dormiente ac ebrio manifeſtatur. Hi enim cum à ſomno, uel ebrietate reſipiſcunt, pręcedentis habitus munere rememorantur. Primum etiã diuinorum noſtrum à naturali noſtro ſcientiæ deſiderio auſpicatur, quod minimo labore nos conſequi conſentaneum iudicant omnes. Huius ueritatis (inquit iſte) fidem facit animę noſtræ nobilitas: nam ſi materia prima ſub formis ad quas eſt in potentia, fuit procreata, nonnè & animam noſtram ſub intelligibilibus formis in lucem editam iudicabimus?

Illud accedit, ꝙ ſi uilius agere nequit in nobilius, ſenſus non agent in animam: quod tamen munus exequitur,ſi à ſenſibus deſumitur noſtra ſcientia. Addunt alij ad actum nihil extrahi de potentia, niſi per aliud prius exiſtens in actu: hinc doctrinã, quæ fit in nobis de recenti per actualem prçexiſtentem notitiam aggenerari concludunt. Duo ſunt tandem,quæ in hanc ueritatem nos detrudere poterunt:primum quidem eſt,quoniam idiota de ſingulis ordine congruo interrogatus accommodatas in medium reſponſiones affert; quod quidem non poſſet fieri,ſi nobis congenitæ non eſſent iſtæ notiones. Alterum ab improbis deſumitur ab optimis hominibus educatis, qui tamen & ſpeculatiuam, & moralem deberent callere ſcientiam, ſi eam per ſtudium, uel doctrmam aſſequeremur.

Huius opinionis falſitas demonſtratur. Cap. VIII.

VERVM ſi Ariſtotelis placita præter iam dicta perpendere uoluerimus,rationemq́; peripateticè raciotinantem, à curſu non reuocauerimus, inditas huiuſmodi notiones nobis non eſſe negocio minimo deprehendemus.Peripateticorum enim princeps primo diui

norum lib.48.contex.ſibi conſtans ipſi in primo po ſteriorum, per præcognita quidem doctrinam nos aſſequi dixit: ſed hæc præcognita nobis non eſſe cõgenita tex.49.his uerbis aperuit. At uerò ſi exiſtit connaturalis, mirum quomodo latemus habentes potiſſimam ſcientiarum. Hęc autem uerba hũc in modum exponebat Auerroes. Quoniam ſi hic ſunt formæ, ad quas intellectus aſpicit, ſicut ſenſus aſpicit ad ſenſibilia, & comprehenſio ſenſibiliũ eſt naturalis in nobis, cum non acquiritur ex cognitione antecedenti: neceſſe eſt, ut intellecta ſint naturalia in nobis: non ut quædã ſint naturalia, quædam tamen accepta per doctrinam. Vnde ſeptimo met.com.58.hęc uerba reddens clariora cum Ariſtotele inquiebat. Quemadmodum ſenſibilia non ſunt ſenſata donec ſentiantur: ita eſt de intelligibilibus: & ſecundum hoc ſequitur ex opinione Ariſtotelis intelligibilia eſſe noua. Hanc eandem ueritatem efficaciſſima quadam ratione D.Thomas nobis aperuit: nam ſi & quantum ad ſenſum, & quãtum ad intellectum quandoque cognoſcit homo in potentia: per ſenſibilium tamen actiones reſpectu ſenſus: & quo ad intellectum per diſciplinam & inuentionem reducitur ad actum: ad eas igitur ſimilitudines, quæ ſenſationis ſunt, & intellectionis principia, ut in potentia ſe habeat homo, eſt neceſſarium. Huius autem illationis neceſſitatem ratio no

bis oſtendit manifeſtiſſimam: nam modo non diuerſo quodlibet formam reſpicit actionis principium, & ipſam actionem. Quare ſi ex leuitate profluit ſurſum moueri, quod eſt potentia leue potentia quoq; ſurſum mouet: quod eſt etiã actu leue, actu ſurſum mouetur. In naturalibus quidem (impedimento tamen ſemoto) ueritatem illius propoſitionis conſpicimus: quandoquidem ſi uix ſunt, cum in operationes exeunt proprias: quinetiam nec ante actionem tempore ſuum eſſe ſunt nacta: actu igitur actionis principium non aderit unquam, quin & operetur actu impedimento ſecluſo, ne rebus omnibus id accidat, quod leui deorſum detento uſu uenire ſolet. De uoluntarijs quoquè idem iudicium eſt ferendum, ſi cuilibet potentiæ proprium actum accommodauerimus. Quoniam igitur cum uolumus nos intelligere non poſſe experiamur, notiones non eſſe inditas comprobatur: nam ſi nobis eſſent congenitæ, ad actionem tãtum in potentia accidentali eſſemus, unde pro arbitratu noſtro intelligeremus. Dilucidè quidem, atquè perſpicuè tertio de anima ueritatem iſtam enucleauit Ariſtoteles. Nam in principio progreſſionis conſiderans intellectum tex. tertio ipſum impaſſibilem dixit. Impaſſibilis quidem (inquiebat Simplicius) eſt hic intellectus progreſſus, quoniam cum ex Ariſtotelis ſententia nihil ſit aliud pati, quàm recipere, atquè

aliunde habere, quæ cognoſci debeant: ideò iurè impaſſibilē eſſe inquit, quod recipiendi quidem uim habeat, haud tamen adhuc ſit conſecutum. Sed cū fuerit ſingula (tex. octauo dicebat Ariſtoteles) tunc per ſe agere poterit. Si igitur congenitæ eſſent notiones, in eſſentiali potentia non exiſtentes, ſed accidētali, pro arbitratu poſſemus intelligere, quod falſum eſſe nobis etiam inuitis apparet. De communibus autem animi conceptionibus idem aſſerendum putauit Ariſtoteles, cum primo met. ſcientiam, & artem per experimentum acquiri uoluerit. Cum in fine ſecundi lib. Poſteriorum. horum tandem principiorum cognitionem, ex ſenſu dixerit originem ſumere. Si autem oppoſitum ſecundo met. contex. primo uiſus eſt Ariſtoteles ſenſiſſe: id non pro actuali aſſenſu, uel notitia intelligendum erit: ſed ſi de potentiali quadam notitia, & ſumatur natura pro naturali principio: tunc Ariſtoteli, & Auerroi fide adhibita in incommodum labimur nullum: quandoquidem ſenſus, & intellectus lumine, quæ ſunt nobis naturalia principia, illa cognoſcere poſſumus actu.

Aduerſariorum rationes radicitus euelluntur. Cap. IX.

QVAE autem pro Platonica opinione confirmanda proferebantur ab aduerſarijs tantum abeſt ut ſint efficacia, & contra Peripateticam ueritatem roboris alicuius cenſeantur, ut ea potius negocio minimo corruant. Inter diſcrepantes quidem tunc iudicium ui quadam propria poterit intellectus ferre, cum per acquiſitas ſpecies fuerit habituatus: & cogitatiuę phantaſmate iam repletę, ac intellectus agentis auxilio poterit intellectus poſſibilis in proprias functiones exire. Cuius quidem intelligere, de habitu ad actum formulæ tranſitum non appellabit ullus, ſed de actu primo ad ſecundum, uel de accidentali potentia ad actum ſibi corriſpondentem tranſitus nuncupabitur. Mirum etiam uideatur nemini, ſi à ſenſibilibus depromatur cognitio: nam & partibilis eſt iſta rerum, ſeu potius earum imaginum ſpeculatio: & intellectus agentis munere unum in uarijs, identitatem in diuerſis, & in diſſimilibus ſimilitudinem poſſibilis animaduertit intellectus. Ariſtotelis autem uerba tantum abeſt ut aduerſariorum ſententię faueant, ut (ſi Auerroi tamen fides

eſt adhibenda) aliorum placita tunc ſolum ipſe perpendat. Illud accedit, quòd, & ſi propriam ibi ſententiam Ariſtotelem proferre dixerimus, quod tamẽn quærebant aduerſarij, non ſunt nacti, Animã enim intellectiuam quantum ad ſubſtãtiam tranſmutari non poſſe exemplo de dormiente, ac ebrio perſuadebat Ariſtoteles, in quibus exemplis conſpicimus duo. Primum quidẽ eſt de habitu ad actũ inſtantaneus tranſitus: alterum uerò quòd prçerãt in ebrio. Non quidem propter hæc duo, ſed propter primum tantum fit uoti compos Ariſtoteles. Has autem notiones propterea nõ dices eſſe congenitas, quoniam impaſſibilis à principio dicitur intellectus & ſpecierum ſuſceptiuus. Deſiderium quoque intrinſecum, & naturale ad ſcientiam illa propenſio uim tantum quandam ad intelligendum præmonſtrat, quæ naturam, cuius eſt uis, & facultas, excedere nequit. Cum autem qui noſter eſt intellectus progreſſus non ſit actus purus, ſed potẽtialis adeò, ut in intellectualium genere ſit ultimus, nihilq́; nõ niſi conſtitutus in actu, agere poſſit: hinc igitur oritur, ut de potentia tantum eſſentiali ad actum deductus, liberè proprium munus exequatur. Qui quidem intellectus, licet cæteris inferioribus longè perfectior habeatur, ſub notionibus tamen iſtis procreatus non fuit, ſicut ſub formis materia prima, quoniam hçc quidem eſſe habet per formas, ille ue-

rò per ſpecies minimè. Si quis autem dixerit per formulas eſſe intelligibile intellectum habere; hic uoti compos non efficitur, nè ocioſum aliquid naturam pati cogamur fateri. Hominem enim ſepiſſimè animaduertimus nō intelligere, quod ideò eſſet abſurdum, quoniam iam eſt in habitu, à ſenſibus non impeditus, & à corpore ſeparatus, propria tamen operatione deſtitutus, à notioribus iſtis adiumenti nihil ſibi confluens. Formulas igitur iſtas non intellectui concreatas, ſed à ſenſibilibus deſumptas, ut fateamur eſt neceſſarium: nec in abſurda tunc labimur. Species nāque, quæ de potentia eſſentiali intellectum deducit ad actum, eum tantum perficit, non propriè agens, ſed intellectus agentis beneficio: non amplius ſenſibilis, nec particularis, in genere intellectuali intellectus poſſibilis forma exiſtens. De recenti ergo ſciētiam acquirimus, et eam quidem ex cognitione præexiſtenti, quemadmodū non ſolum primo poſteriorum, ſed primo etiā met. 48. contex. nobis oſtendit Ariſtoteles. Nec aliqua eſt cognitio, cuius ratione poſſibilis intellectus fuerit in potentia, ad quā per aliquod exiſtens in actu non ſit deductus. In diſcurſu quidem concluſionis cognitio in actualem, & illam quidem præexiſtentem principiorum reijcitur: hæc in illam terminorum reſoluitur ſimplicem, quam Ariſtoteles in experimētum retorquet, quod ex ſenſu nobis colligimus. Si

de ſimplici cognitione habeatur oratio, illa quidem ex intellectu per ſpeciem exiſtente in actu, acquiritur: quæ ſpecies nunc generatur ad exiſtentibus in actu phantaſmate, ac intellectu agente. Leue tandem eſt illud ſignum: quandoquidem interrogatio rectè diſpoſita à communibus ad propria in addiſcente ſcientiam parit. Minimo enim negocio ex uſu continuo circa communia in uniuerſalium cognitione fertur intellectus noſter, quorum uirtute fertur tandem in propria: quod Ariſtoteles primo poſteriorum ſatis apertè monſtrauit, cum ex optima præmiſſarum connexione, dilucidationem quęſiti neceſſariò prodire putauit. Illud accedit, quòd ſi ad Platonis interrogationem confugiamus, eam non ſolum rectè diſpoſitam, ſed de mathematicis quoquè certiſſimis omnium allatam, & ad figuras tandem materiales in Menone Platonē deueniſſe conſpicimus. Ex his igitur peripateticam doctrinam illos non profiteri conſtat, qui hoc in parte preceptorem, & diſcipulum idem ſenſiſſe uoluerunt. Libro. n. 12. miſticę philoſofiæ cap. 20. humanę ignorantiæ cauſam aſſignans Ariſtoteles, inquiebat. Reſpondemus ꝙ in nobis ignorantia noſtri, rerumq; aliarum prouenit ex eo, quòd non ducimur niſi ſenſu ad diſcendum. Vnde explorantes ſciendi gratia dicimus, hoc experimur, illud uerò non: neq; ſeponimus cogitationem, ſed ex ea colligimus diſci-

plinam: & putantes nos expertos omnia, aſſerimus nihil eſſe, quod non cadat ſub ſenſu. Liber quoque ſecundo, cap. tertio intellectum hunc noſtrum ſpecie cogniti, ſicut materiam primam informari uoluit. Ibidem etiam inquiebat. Appello autem intellectum actuatum, habẽtem quęſitum obuiam ſpeculationi: & intellectum ſub potentia, carente quæſito obuio. Libro tandem nono cap. quarto luce clarius hanc nobis explicauit ſententiam, dicẽs animam in ſupernis exiſtentem principia plura abſq; cogitatione, & impreſſione ſimulachri inſpicere, quorum tamen inferius cogitur opera uti.

An intrinſecum ponat Ariſtoteles intelligendi principium declaratur. Cap. X.

PRAETER notiones illas congenitas intrinſecum aliud Platonici affirmabant intelligendi eſſe principium, animę ſcilicet rationalis apicem, mentem ab ipſis nuncupatum. Negocium iſtud pluribus admodum peripatetici proſequuntur, hac in re maximè inter ſe diſcrepantes. Sed cum diuerſas horum ſententias in animaſticis ſpeculationibus enucleauerim, quid peripateticè arbitror ſentiendum, in præſenti adducam in medium. Illud igitur primò ſcitu dixerim neceſſarium, quòd licet P7.

contex. tertij de anima cum ſequētibus tribus, modo quodam à cæteris longè diuerſo cum eruditiſſimo Simplicio, & uerè peripatetice fuerim interpretatus: locum tamen nullum relinqui, ex quo agentis intellectus neceſſitatem depromamus, quā peripatetici omnes admittunt, non eſt aſſerendum. Non unus eſt locus, cuius auxilio quam nobis utilitatem afferat hic intellectus agens deprehendamus, ſi fides preſertim adhibeatur Simplicio, qui non huius tantum, ſed anima quoq; rationalis ſublimem declarare naturam non in naturalem ſolum, ſed in diuinum etiam artificem tertio de anima par. 17. negocium iſtud reijciat. Libro igitur de anima tertio tex. ſecundo intelligere dicens Ariſtoteles ſicut ſentire, agentis neceſſitatem oſtēdit, cum progreſſus hic intellectus non ex ſe ipſo intelligat, nec à ſe ipſo, nec per ſe ipſum. In intelligendi actum intellectum iam ad ſecūdas uitas delapſum ex ſe ipſo, à ſe ipſo, & per ſe ipſum non conſcendere tex. tertio ſignificauit Ariſtoteles, eum dicens impaſſibilem. Impaſſibili quidem eſt (ibidem exponebat Simplicius) quoniam ſi pati eſt ipſum recipere, atq; aliunde habere, quæ cognoſci debeāt: iurè igitur hunc dicit Ariſtoteles impaſſibilē, qui à recipiendi quidem uim habeat, haud tamen adhuc conſecutum ſit. Quibus quidem Ariſtotelis uerbis commotus & Auerroes, attionē. quæ eſt formæ re

per intellectum, affirmauit eſſe de uirtute paſſiua. Tex. quoque quarto dixerat Ariſtoteles intellectũ immixtum eſſe, cum intelligat omnia. Immixtus eſt quidem, quoniam (ut inquit Simplicius) tãquã materia ijs ſubijcitur, quæ intelligit: unde tex. quinto ipſam nullam aliam concludit habere naturam, niſi poſſibilem. Si quis autem dixerit obiecti tantũ ex his neceſſitatem deſumi, illam uerò agentis minime: is quidem animaduertat intellectus progreſſi obiectum non reperiri, ſeù ſubſiſtere, ſed potentia eſſe tale: quarè ut fiat in actu oportet, quod non niſi alicuius exiſtentis in actu beneficio contingere poteſt. Anima quidem ſpecierum locus tex. ſexto dicitur ab Ariſtotele, quę tamen non ſunt actu. Obiectum intellectus eſt quidditas, quæ (ut etiam fatentur Latini) eſt unum in multis: hoc autem nõ ſubſiſtit tale, ſed eſt accidentibus conuolutum. Hac igitur de cauſa (ut tertio de anima par. 21. diuinè admodum dixit Simplicius) non eodem ordine de ſenſu agit Ariſtoteles, & intellectu. De ſenſibus quidem orationem inſtituens Ariſtoteles à notioribus nobis auſpicatus, quæ ijs ſubiecta eſſent, prius tradebat; & ante ſubſtantiam actiones ipſas conſiderabat. In tractatione autem iſta de anima intelligente (inquiebat Simplicius) intellectus, quiſnam, & qualis ſit, ante intelligibilia contemplatur, quia ea ignotiora ſunt: atquè deindè intelligi-

bilia

bilia ipſa cõſiderat. Eandẽ ueritatẽ ex Ariſto. uerbis tertio de anima tex. 2. habitis excepit Simplicius. Si. n. intellectualis operatio cũ illa ſenſus cõuenit, qm̃ intelligere queádmodũ et ſentire, aut pati quoddã eſt ab intelligibili; diſcrimẽ etiam inter hęc duo reperitur, in illo uerbo aut aliquid hmõi alterũ ab Ariſt. nobis ſignificatũ. Nãq; inter ſenſum, & ſenſibilia nõ leuis eſt diuerſitas, ipſaq; ſunt extrinſecus, et ſubſiſtũt, et ibi tãdẽ eſt inſtrumẽtorũ motio. Verũ in intelligere ipſo nec ulla cõtingit corpea motio, nec extrinſecus eſt intelligibile, & ſubſiſtens; ſed eſt intrinſecus; quod tamen à ſe non habet anima, cum (ut ibidem inquiebat Simplicius) inueſtiget anima tanquam ea, quæ non habeat. Diuinè igitur ex intellectus collatione cum ſenſu inferebat Simplicius progreſſum hunc intellectum non ex ſe ipſo intelligere, non à ſe ipſo, neque per ſe ipſum: ſed ſicut ſenſus à ſenſibili, ita is ab intelligibili, atque ab eo intellectu, qui eiuſdem ordinis cum illo eſt, excitatur, atque expletur, tanquam alius ab alio, quem eadem par. illuminãtem appellauit. Loca etiam quatuor Ariſtotelis alia, huic ueritati fauẽt omninò ſecundum diuinam interpretationẽ Simplicij. Nam ſi progreſſum intellectum, & imperfectum ad accommodatam perfectionem ſe recipere, illumq; ad actum de potentia deduci fatetur Ariſtoteles: tanquam notum, & luce ipſa cla-

rius ipſe ſubticuit, cum alicuius exiſtentis in actu auxilio perfectionem conſequi propriam: quinetiã tunc iſtud ſignificauit apertiſſimè, cum hunc iam perfectum præſtantiſſimo illi agenti comparauit. Hanc ueritatem cognoſcens Simplicius tertio de anima par. 19. intellectum noſtrum ſeparabilem, immixtum, impaſſibilem, ſuaq; ex ſubſtantia actu exiſtere huius tantum agentis munere uoluit, inquiebat enim impaſſibilis uerò dicitur, tanquã his, qui haud ab alio, nequè ex diuerſitate aliqua, neq; ex participatione, ſed ipſæ à ſe ipſo aut ſecundum actum perficitur, aut iam perfectus eſt. Licet enim & à præſtantiori illo intellectu id huic largiatur. Et paucis interpoſitis agendi munus huic noſtro intellectui propter coniunctionem cum præſtantiſſimis eſſe datum aſſerebat. Ex his igitur non ſolum agentis intellectus neceſſitatem licet depromere, ſed huius etiã neceſſitatis cauſam facillimè poſſumus coniectare: quoniam quod eſt in potentia intellectus noſtri obiectum ad actum eſt deducendũ. Aliqui tamen licet oportunum huius intellectus cognoſcant, & fateantur auxilium: de huius tamẽ cauſa diuerſam habuerunt ſententiam, eam ſcilicet propter intellectionem ipſam neceſſarium aſſerentes. Hæc enim omnia intellectionem noſtram præcedere deprehenderunt ſcilicet rem ipſam materialem extrinſecus ſubſiſtentẽ, phantaſma, intelli

gibilẽ ſpeciẽ, intellectũ progreſſum, & hunc agẽtẽ: ex quibus quidẽ omnibus agentẽ intellectũ tanquã intellectionis principium ſibi delegerunt. Hoc quidem res extra animam exequi nequit, quæ potentia tantum eſt intelligibilis. Phantaſmati munus iſtud non eſt demandandum, quippè quod materiale ſit, & ſingulare tantum præſeferat. Speciem quoquè principij nomine indignam propterea iudicarunt, ne ipſam intellectu digniorem aſtruerent. Efficiendæ tandem, cauſandæq; intellectionis munus cum ab intellectu poſſibili remouiſſet, quippè qui ex Ariſtotelis ſententia tertio de anima quinto contex. poſſibilem tantum naturam habeat: hoc ipſum intellectui agenti demandandum putarunt. Verùm cum immanentium actionum numero intelligere noſtrum à philoſofis omnibus aſcribatur: & poſſibilem intellectum cum Auerrõe tertio de anima com. 19. agentem, & patientem eſſe; & horum opinionem à peripatetica diſciplina longè ſemotam ſemper ego crediderim. Ratiocinium autẽ illud, quod ui quadam demoſtratiua præditum exiſtimarunt ipſi, tanquam infirmiſſimum facillimè corruit: nam non intellectus noſter ſolus poſſibilis, ſed ille agentis beneficio intelligibili ſpecie iã actuatus ad intelligendum ſe recipere poteſt. Nec ſolutionem iſtam infringent aduerſarij, ſi ſpeciem diſpoſitiuum dixerint intelligendi eſſe principium:

quandoquidèm & remouens prohibens exequitur utrunque: quod & de ſpecie propterea poterimus affirmare, quòd licet ipſa, & poſſibilis intellectionem depromant: ei tamen actus propriè determinatio demandatur.

De Agentis intellectus natura peripatetica explicatur ſententia. *Cap. XI.*

D*E* HOC *quidem quæſito diuerſorum diuerſæ fuerunt ſententiæ, quas in animaſticis ſpeculationibus pluribus uerbis ſum proſecutus: quare uera tantum, germanaq́; Ariſtotelis in præſenti ſententia dilucidabitur. Si ergo quæ lib. miſticæ philoſofiæ dicuntur ab Ariſtotele, & quæ libro de anima tertio par.* 17. 18. 19. *&* 20. *proferuntur à Simplicio, examine diligenti perpendantur: ex ipſis hanc de intellectu agente ſententiam, & illam quidem ſolam peripateticam nobis eliciemus. Eſt enim ſubſtantia quędam à poſſibili noſtro longè diuerſa, Deo proxima, ſecundum mundi principium, dirigens, & conſeruans præter cætera poſſibilem intellectum noſtrũ. Diſtinctionem hanc inter agentem, & poſſibilem intellectum noſtrum tunc ſignificauit Ariſtoteles, cum libro miſticæ philoſofiæ.* 10. *cap. nono ſenſiti-*

uam, & intellectum poſſibilem formali quadam connexione uniri uoluit, qua & hominis exiſtentia perficeretur, & gradus entium conſtitueretur. De intellectu agente ibidem dicebat Ariſtoteles iſtos ſe inuicem optare pro ratione, qua uniuntur, & fiunt ſubſtantia ferè una. Ferè quidem fiunt ſubſtantia una, quoniam eodem lib. cap. octauo ſupra poſſibilis naturam, qui tamen eſt noſtra ſubſtantia, agentis eſſentiam eſſe, fatetur Ariſtoteles. Deo eſt proximus hic intellectus agens, quoniã ab ipſo immediate procreatus, & ipſius filius: quẽ mens illa diuina prima rerum omnium effectorem conſtituit, infinitum primi principij in fluxum recipientem: quæ omnia lib. de primo enunciato ſummi boni ex Ariſtotelis ſententia diffuſe admodum declaraui. Munus tandem, quod circa poſſibilem intellectum exercet, lib. Theologiæ. 10. cap. octauo declarauit Ariſtoteles, quippè qui lumine ſuo per uniuerſum expanſo licet dirigat omnia, & illa conſeruet: hæc tamen beneficia in intellectum poſſibilem tribuit abundantius, & imprimit efficacius, quoniam inter ipſos nullum ſit ſeparans medium, nullumq; reperiatur ex entibus illius influxus ſubiectum accommodatius. Nexum autem, & hanc unionem formalem utriuſque intellectus ratione firmam eſſe, ac ſtabilem clariſſimis uerbis aperuit. Ex parte quidem intellectus poßibilis, quoniam ſi

primo phyſicorum materiam dixit appetere formam ſicut turpe pulchrum: libro quoque miſticæ philoſofię 10.cap.nono propterea poſſibilem intellectum illi agenti dixit ſubſterni, quòd ab illo dirigatur, & conſeruetur: quemadmodum ſenſitiua nihil poſteritatis, & exiſtentiæ conſtantis aſſequitur: niſi per influentiam, & illuminationem ab eo receptam: cuius etiam ope, atq́; auxilio adminiculum ſibi adeſſe (dixit Ariſtoteles) fulciendi permanentiam eſſentiæ ſuæ. Dirigitur quidem ab agente intellectus poſſibilis, quoniam naturales formas ex ſe depurare, illasq́; in eſſentiam ſuam & rationem uniuerſalem abſquè excitatione animę ſenſualis, & huius agentis lumine minimè poteſt. Conſeruatur autem ab agente noſter poſſibilis, cum eorũ agentium numero aſcribatur unicus hic filius boni, quorum opera ex Auerrois doctrina lib. diſt. diſp. quarta, in ſol. primi dubij & in lucem producitur effectus, & iam productus conſeruatur: unde à noſtro poſſibili quantum ad hæc duo ſeparatũ non eſſe agentem conſpicimus. Mutuam tandem hanc habitudinem lib. Theologię. 10. cap. octauo triplici ſimilitudine ſignificauit Ariſtoteles: nam intellectus hic agens eo amore, atq́; beneuolentia poſſibilem noſtrum fouet: & protegit, quo magiſter diſcipulum, pater unigenitum, & mas proſequitur fœminam. Ex Ariſtotele quoq; lib. de ani-

ma tertio.17.cum reliquis tribus ſequentibus con tex.(ſi diuinam tamen Simplicij ſequamur interpretationem)hęc omnia facillimè licet depromere, quippe qui prædicata illa perfectionem ſignificantia intellectui noſtro nulla quidem alia ratione uoluit accommodanda, niſi quoniam agẽtis iſtius munere euaſit agens, & ipſe:unde eadem perfectiſſima quadam ratione huic agenti conuenient præſtantiſſimo. Si enim noſter intellectus ad priſtinam perfectionem uel omnino, uel quaſi regreſſus, ſeparabilis, immixtus, impaſſibilis, & ſua ex ſubſtantia exiſtens actus nuncupatur, unde agentis nomine dignus habetur: nonnè præſtantiſſimus ille unicus, et ſummi Dei filius, agens intellectus, à quo huic noſtro poſſibili tot, tantæq; perfectiones confluunt, erit & ipſe perfectionibus inſignitus?

Quę ueritati huic aduerſantur, in medium adducuntur. Cap. XII.

PLVRIMA *tamen ſunt, quæ Latini contra peripateticam hanc ueritatem adducunt in medium: & primum quidem ex proportione deſumitur inter agentem reperta & noſtrum poſſibilem. Dicunt enim iſti ſi de propinquo agenti habeatur oratio illud paſſiuo corre-*

ſpondere adeò, ut ſit cum illo generis eiuſdem, & ordinis. Si quis autem horum ſententiam propterea dixerit à peripatetica mente diſſonam, quod poſſibilis materię, arti uerò agens comparetur: quo quidem exemplo à poſſibili noſtro ſeiunctum agentem neceſſarium eſt confiteri: quemadmodum & ars eſt à materia ſeparata. Huic ſatis eſſe factum putarunt Latini, ſi hanc ſimilitudinem, ſicut & quamlibet aliam diſſimilitudinem etiam pati demonſtrarint. In hoc enim cõueniunt, quòd intellectus agẽs ſpeciem, & poſſibilem deducit ad actum, ipſis tamen ſui naturam, & formam, qua ens eſt, non impertiens: quemadmodum & ars idem exequitur circa materiam. Apertiſſimum quoque inter agentem intellectum, & artem conſtat eſſe diſcrimen: nam intellectus poſſibilis cum agentis naturale ſit ſuſceptiuum, eum ſuſcipit ſecundum eundem eſſendi modũ, agenti conuenientem: unde generis erunt eiuſdem. Sed cum ars non naturale, ſed ſit agens uoluntarium: hinc ſecundum alium eſſendi modum materiæ comparatur: unde formam artis materialiter recipit, quæ tamen in artificis mente eſt immaterialis. Ex Ariſtotelis uerbis idem colligi uoluerunt Latini: nam lib. de anima tertio quinto cõtex. hunc intellectum poſſibilem nullam habere naturam dixerat ipſe, niſi poſſibilem. Hinc poſſibilem cum Auerroe materię cõparantes, dixerunt præ-

ter abſtractam intelligentiam intrinſecum quoque agentem requiri, qui de potentia eſſentiali ad actũ primum illũ deducat: quemadmodum nec naturales formas materia recipit, niſi formæ generis eiuſdem beneficio. Actionem etiam intellectus agentis hanc ueritatem nobis polliceri putarunt: nã ſi quæ uni tertio ſunt conformia, inter ſe quoque proportionem ſeruant: cum intellectus agens intelligibiles ſpecies procreet ſibi ſimiles, quoniam agens ſibi ſemper effingit ſimile: quæ poſſibili quoque conueniunt, cum per eas intelligat: hinc neceſſario ſequi crediderunt iſti intrinſecum eſſe nobis agentem, ſicut eſt poſſibilis. Ad hoc tandem aſſerendum deuenerunt, quoniam Auerroi fidem adhibuerunt, qui tertio de anima ipſum intelligere uoluntati noſtræ ſubijci, eſt profeſſus: quare ſi ſeparatus ſit hic agẽs intellectus, non cum uoluerimus, intelligere poterimus.

Hęc diruuntur obiecta. Cap. XIII.

TANTVM autem abeſt ut horum opinionem peripateticã eſſe crediderim, ut huius doctrinæ principem uerbum nullum protuliſſe dixerim unquam, quod agenti intrinſeco animæ noſtræ

facultati poſſit accommodari. Nanq; omiſſa in prę ſenti interpretatione Simplicij uerba, ſi Latinorũ ſequamur opinionem lib. de anima tertio. 19. contex. cum Auerroe inter poſſibilem, & agentem hoc nobis deſumemus diſcrimen, quoniã hic agens eſt ſubſtantia, quæ eſt actio ſua. Sed ſi uis, & facultas ſit animæ noſtræ intellectus agens: non igitur ſubſtantia. Si facultas ſit naturaliter tantum agens, quomodo actio illa intellectualis erit ſua ſubſtantia? Verba quoque 20. contex. habita, quibus hoc ſolum ſeparatum fatetur Ariſtoteles, ſi cum Latinis de anima tota intelligi non poſſe fuerit oſtẽſum: illa quidem opinioni iam propoſitæ fauebunt maximè, illamq; confirmabunt. De tota quidem anima intellectiua uerba illa propterea non ſunt audienda, quoniam cum hac in parte ſecundũ Latinos de intellectu agente ſpeculationem ſit Ariſtoteles aggreſſus: ad eundem hęc ſunt referenda, cum pręſertim eo in textu poſſibilem intellectum inter ſe comparet, & agentem. De agente autem dixerat non quandoque intelligere, & quandoque non: unde hæc ſubintulit uerba. Separatus autem eſt ſolum hoc, quod uerè eſt: quod quidem dictum non niſi ad immediatè prę cedentem intellectum agentem referri poteſt. Hæc Latinorum interpretatio per excellentiſſimum quendam modernum non liberatur à calumnia: quippè uerba illa de in-

tellectu tantum agente interpretantes in hoc laba mur abſurdum, ut ſolus agens ſit ſeparatus, & im mortalis. Hoc quidem incommodum doctißimam Simplicij expoſitionem non angit: nam poßibilis eſt ſeparabilis, ſeparatus autem eſt agens. Adde quoquè ideò intellectum hunc primum ſolum eſſe ſeparatum, & immortalem, quoniam & quãtum ad ſubſtantiam, & functiones ſit in æternitate, cũ tamen operationis ratione ſub tempore cadat anima. Sed quanti ſint faciendæ Latinorum rationes reliquum nunc eſt examinare. Primum quidem quod in medium adducunt ratiociniũ, nullũ eſt profectò: nam ſi Ariſtotelis uerba conſideremus, in quibus poſſibili noſtro agentem comparat intellectum, eum tanquam artem, & lumen ſemper conſiderauit, conſtat autem & lumen, uiſus, aut coloris non eſſe partem, & à materia artem ſeiungi. Quod autem de artis diſcrimine reſpectu materiæ, & agentis reſpectu noſtri poſſibilis dicebatur à Latinis, facillimè corruit, ſi quo nam modo poſſibilis intellectus naturale ſit ſuſceptiuum agentis, rectè perſpiciatur. Non enim poſſibilis noſter intellectus propterea materia dicit debet agẽtis, quòd eſſe ipſius tanquam forma compleat agens, & poſſibilis ad propriam ipſius operationem paſſiuè tantum accedat promendam, quemadmodum ad ignem, eiusq́; functionem lignum ſe habet: ſed materię no

minę appellatur, quoniam proprius ſit intellectus primi effectus, uiſus influxum præ cæteris recipit abundantius, & retinet efficatius, ad intellectionem cauſandam ab agente illuſtratus exiſtens per ſe ſufficiens. Forma tamē agens eſt noſtri poſſibilis, cum animam rationalem procreans eorum agentium numero aſcribatur, quibus & eſſe, & ſui conſeruationem effectus accepta referre tenetur. A quo quidem intellectu primo, cum per ſimplicem emanationem profluat rationalis anima, quæ in procreatione cum alterius animæ generis eiuſdem, & ordinis nullum requiratur auxilium, ſed ipſe tantum intellectus primus influxus paterni munere, quem recipit infinitè, ad rationalem animam producendam ſufficiat: hinc mirum nemini uideatur, ſi ſolus ipſe quod in effectu ſimile ſibi effinxit, perficere, atquè conſeruare conatur. Cum enim diuinam anima incolit regionem, non diſcurſiua, ſed (ut inquit Themiſtius) comprehenſiua cognitione potitur: & nulla quidem ratione alia, quàm quòd obuium habet quæſitum, hunc ſcilicet intellectum primum, in quo rerum ydeę relucent, & cuius tantum beneficio ad ſummum bonum inſpiciendum ſe confert. Hinc autem Latinorum ſoluatur inſtantia, qui ſi agentem dixerimus ſeparatum, eum tantum, ideò horum eſſe ipſi uoluerunt, quod in ipſo ſolo noſtra conſiſtat fœlicitas. Sed reli-

qua proſternens dico, quòd cum ad ſecundas uitas progreditur intellectus noſter, et iam partum enniſit, ab hac dirigendi, perficiendiq; prouincia non deſiſtit ſecundum hoc mundi principium, poſſibilem noſtrum illuminans, & obiectum ſibi hoc in ſtatu accommodatum efficiens modo declarando. Adde quoque pro huius rationis euerſione non intelligere, quod ſecũdum iſtos ipſe noſter poſſibilis promit. Sed ſpeciem tantum ab agente, & à phantaſmate profluere. Verum cum hac tantum ratione ſit ſpecies intelligibilis principium, quoniam hac inſignitus poſſibilis noſter, ipſe ſit, qui ſtatim intellectionẽ depromat: hinc luce clarius conſtat intrinſecum nobis eſſe intelligendi principium. Nec eſt etiam tutũ ad Ariſtotelis uerba tertio de anima quinto tex. habita uelle confugere, quibus cum Auerroe poſſibilem intellectum materię Latini comparant: quæ quidem pręter uniuerſale agens illud ſibi requirit intrinſecum. Nanquè ſi naturalia hęc ortui, & interitui obnoxia, quia ab eorum effectore principio nimium diſtant, ipſiusq; influxum purum, atquè ſincerum retinere non poſſunt, præter uniuerſale principium, particulare quoque requirunt, quod generis eſt eiuſdem, & ordinis: cum intellectus primi effectus proprius ſit anima noſtra, quæ ipſius influxum diuinum, & intellectualem ſemper recipit, licèt non eadem ſemper ratione: hinc ad ipſam per

ſiciendam principium illud ſufficere dixerim, quod abſquè particularis alterius ope ipſam in lucē edere potuit. Huius autem ueritatis dilucidationem ex Ariſtotelis doctrina facilè licet nobis colligere: nam ſi receptionis tantum cauſa materię comparatus, recipit uniuerſale, & quidem ſine motu, & tranſmutatione: hinc iſtius perfectionis principium illud ſtatuendum erit, cuius eſſentia, & operandi uirtus tempore non menſuretur. Illud etiam notét aduerſarij ex proportione inter agentem, atq; poſſibilem intellectum, intelligibilis ſpeciei ratione hoc tantum colligi, agentem ſcilicet ideò nobis intrinſecum: quia ſit uelùt poßibilis forma: quandoquidèm nulla ratione alia poßibilem hic agens perficit, quàm quòd & ipſum produxit. Quinetiam adde cum Simplicio, quòd cum diſcurrit intellectus poßibilis, non ydeas tunc contemplatur, quibus refertus eſt agens, quo tantum tempore hic eſſet uelùt forma nobis coniunctus: ſed à ſenſibilibus excitatus, & ad ſecundas uitas conuerſus, & formis affectus, imaginibus ydearum afficitur, ab ydeis non parum ſemotis: quare & tunc agens parum eſt nobis coniunctus. Auerroicum quoque proloquium non deſtruitur, cum Ariſtoteles lib. miſticæ philoſofiæ. 10. cap. ij, inſeparatum à nobis dicat hunc intellectum, quippe qui effectu hoc proprio mirum in modū delectetur, quemadmodum ſupra fuit oſtenſum.

Quo nam modo iſtud exequatur intellectus agens, exponitur. Cap. XIIII.

QVANVIS de intellectus agentis actione diuerſi diuerſa ſentiãt: quorum omnium ſentẽtias in animaſticis ſpeculationibus diligentiſſimè perpendi: hoc tamen in loco eam tantum recenſebo, licet communem, quam peripateticam eſſe ſemper ego crediderim. Dicendum igitur exiſtimarim, proptereà intellectus agẽtis opera nobis eſſe opus, quòd uniuerſalia re ipſa non reperiantur ex ſe ſubſiſtentia: ſed eſt intellectus, qui facit uniuerſalitatem in rebus. Munus autem iſtud exequitur intellectus agens tùm in phantaſma, tùm in poſſibilem propriam uirtutem exercens. In phantaſma quidem duplici modo intellectum agentem proprio munere fungi eſt aſſerendum, influxu ſcilicet & abſtractione. Influxus iſte hunc in modum eſt declarãdus: nam cum inferiora modo quodam excellentiori contineantur in ſuperioribus, cuius quidem nexus beneficio ea donantur perfectione, ac operandi uirtute, quam a ſuperioribus diſiuncta non aſſequerentur: unde eſtimatiua in homine quoniam in intellectus eſſentia eſt radicata, intẽtiones indiuiduales. 10. prędicamẽtorũ

apprehendit. Hinc & ipſum phantaſma non per additam uirtutem quampiam ab intellectu agente ſibi defluxam, ſed ex cõnexione uirtutis imaginatiuæ cum intellectu, in qua tamen eſt illud phantaſma, id dignitatis, & excellentiæ ſibi confluit, ut ad ſpeciem ipſam promendam particulariter concurrere poſſit. Illorum etiam opinio mirum mihi ſemper in modum placuit, qui abſtrahendo propterea hunc intellectum agentis nomen ſortiri dixerunt, quòd ſpecies de actiua potentia phantaſmatis ipſe deducat ad actum, quemadmodum pulcherrimo quodam exemplo manifeſtatur. Sicut enim ille, cuius ſunt eneruatæ uires, non niſi robuſtioris cuiuſdam beneficio nauim trahere poteſt, qui ut agens principale ad hoc munus obeundum accedẽs formam de actiua potentia, imperfecti agentis educit. Pari etiam ratione de actiua phantaſmatis potentia, in qua ſunt potentiali quodam modo ſpecies, illas dicunt peripatetici agentem educere: quoniam phantaſmati eas producendi facultatem largiatur, & ipſe una cum phantaſmate ſpecies illas tanquam principalis cauſa edens in lucem. In intellectum tandem poßibilem agit hic agens, in ipſo tanquam primum, & uniuerſale agens ſpecies intelligibiles cauſans illius abſtractionis à phantaſmate beneficio. Ad ſpecies quidem intelligibiles promendas phantaſmatis tantum robur non ſufficit:

cit: quandoquidèm etiam cum luminis intellectus agentis præſentia, ipſum phantaſma materialium genus non egreditur: pęnitus tamen immateriales ſunt intelligibiles ſpecies. Huius ueritatis exemplo illo de lumine, oppoſitum ſentire nō poſſumus, tùm quia uerba illa ad hoc exprimendum ab Ariſtotele non fuerunt adducta: tùm quia ſpecies illa uiſibilis, & ipſa materialium numero eſt aſcribenda. Nec intellectui tantum agenti ſpeciem intelligibilem acceptam referet intellectus poſſibilis: nam ſpecies de non phantaſiato produceretur, unde præter Ariſtoteles ſententiam, deficiente etiam aliquo ſenſu illius obiecti ſcientiam nanciſci poſſemus. Vnum tamen relinquitur unico uerbo abſoluendum, cuius culpa intelligibilem ſpeciem, unà etiam cum agente à phantaſmate non produci ſequatur, cum illam in lucem edere, ſibi repugnet: at ſi ſuſpicetur quiſpiam quod ex ſe non poteſt in unum, nullius etiam uirtutis auxilio in idem unquam poſſe. Verùm animaduertat ſic ſentiens ueritatem tunc præſeferre propoſitionem ultimo loco allatam, ſi agens ideò unum agere nequeat, quòd proprium ſibi ſit illius oppoſitum. Sed ſi ex actiuæ uirtutis imperfectione id ſibi contingat: in nullum quidem incommodum labimur, ſi alicuius extrinſeci manere uirtute particularis agentis cōfirmata, effectus ab eodem edatur in lucem. Ex hac pulcherrima præſentis quæ-

ſiti dilucidatione ruunt eorum ratione, omnes opportunum intellectus agentis auxilium remouentes, quippè quæ ex ignaui illius actionis interpretatione deſumantur. Vnum tamen remanet oratione breuiſſima enucleandum, quis ſcilicet inter intellectus agentis functiones ordo reperiatur, quæ ſunt influere, abſtrahere, & intelligibilem ſpeciem procreare. Hac quidem in re inter Latinos, inter Thomiſtas præſertim uerſatur diſſidium: ſed illorũ ſententia mihi propter magis arriſit, qui ſpeciem intelligibilem poſtremum intellectus agentis effectum putarunt. Quanuis enim ſimilitudinem illã à lumine deſumptam tertio de anima. 18. contex. ad hoc ſignificandum non adduxerit Ariſtoteles: intellectum tamèn agentem lumini comparãdum eſſe, ut ſpecierum eductionem præcedit, omnes ſenſerunt, quemadmodùm tertio de anima particula ſecunda apertiſſimè fatetur Simplicius. Sed quoniam duo ſunt luminis effectus: duo etiam antequã intelligibilem ſpeciem producat, hic agens efficiet. Si enim primus huius noſtri luminis effectus, & ille quidem formalis eſt illuminare, & eſt ſecundus obiectiuus facere apparere: hæc etiam duo proprio quodam modo exequetur ſpirituale illud lumen. Illuminat quidèm phantaſma ea ſcilicèt ratione, qua in phantaſma influendo, ipſum agere ſuperius oſtendebatur. Effectus quoquè ſecundus &

ab hoc lumine profluit, cum huius beneficio abſtrahentis appareat in phantaſmate, quòd prius deprehendi non poterat. Eſt quidem natura hæc in phantaſmate: ſed præſtantiſſimi huius luminis præſentia, ſingularitatis tenebris depulſis, nõ amplius illud totum, ſed natura tantum ſplendet, & quidditas. Vnde iure quidem optimo abſtractiua hæc à Latinis illuminatio nuncupatur, quippè quę unum ſine alio, quæ tamen ſunt coniuncta, faciat nobis conſtare. Vltimò tandem loco intellectus agens cũ obiectiue illuſtrato phantaſmate ſpeciem edit intelligibilem. Sed inquiunt aduerſarij ex dictis & intelligibilem ſpeciem auferri de medio, & intellectus agentis neceſſitatem depelli. Speciem quidem deleri, quoniam iam intelligibile conſtitutum eſt in actu: intellectus autem agentis neceſſitatem tunc quia intelligibile in actu in hanc poterit functionẽ exire, tunc quia non in intelligibile in actu, ſed in ſpeciem deſinat intellectus agentis operatio. Sed eneruata ſunt adeò hæc aduerſariorum obiecta, ut quod cupiunt, aſſequi nequeant. Speciei quidem intelligibilis non aufertur neceſſitas, nam ſi eſt intellectui uniendum obiectum, hoc quidem iam factum in actu per ſui ſubſtantiam uniri non poterit, quod ſolius Dei proprium eſſe dixerunt theologi. Nec per phantaſma, quod licet illuminationis, & abſtractionis munere quidditatem ipſam præſefe-

rat: ſecundum eſſe tamen intra materialium rerum limites continetur. Ad formam igitur penitus immaterialem erit confugiendum, quæ in actu primo conſtituat intellectum poſſibilem, obiectum referat uniuerſale, uniens intellectui quod iam factum fuit in actu quam quidèm formam intelligibilem ſpeciem nuncuparunt peripatetici. Intellectus quoquè agentis neceſſitatem hunc in modum tueri poſſumus: quandoquidem ſi quod eſt in actu ſolum agere poteſt: cum eſſe intelligibile in actu nõ à ſe habeat iſtud phantaſma, ſed ab agẽte ſibi profluat intellectu: primæ igitur, & immediatæ partes ad ſpeciem ipſam promendam huic debentur. Plurima quidèm alia, & de intellectu agente, & de intelligibili ſpecie forent dicenda: cuius ſpeciei cauſa doctiſſimus Zimara, & Hieronymus ille Girellus inter ſe digladiantur: ſed hæc omnia in animaſticas ſpeculationes reieci: quem quidem librum in lucem tandem euolare permittam.

STEPHANI CONVENTII BONONIENSIS

DE ASCENSV MENTIS IN DEVM Liber Quintus.

In quo de aſcendendi methodo diſſeritur Platonicè.

Quo nam modo Plato ſignificauerit aſcendendum, recenſetur. *Cap. I.*

CVM *rationalis anima noſtra, corpus hoc particulare ſubingreſſa, multa, & ea quidem non leuia patiatur incommoda, ab antiqua, ſaluberrima, & ſibi propria regione nimium diſtãs, ita ut ſupercœleſtis ille mundus, & hic inferior extrema duo poſſint non iniuria nuncupari: hinc neminem arbitror in Platonica diſciplina, uel etiã parum exercitatum reperiri, qui longum hoc iter aſcendendi, & arduum unico gradu dicat abſolui. Quinetiam tantum abeſt, ut in hanc erroneam opi*

nionem deſcendat, ut plurium potius nobis opus eſſe opera cum huius doctrinæ principe profiteatur. Sed quoniam his de rebus huic aſcenſui conferentibus non ſolum Platonici, ſed & ipſemet Plato non idem ſemper uiſus eſt ſenſiſſe: ut ab eo, ipſiusq; ſectatoribus repugnãtia qualibet remoueatur, & obſcuritas, Platonis miſterium primò in medium arbitror adducendum, ſingula deindè ipſius uerba diligentèr perpendentur. Diuinus igitur Plato cum lib. de Rep. ſexto hac inter cæteras efficaciſſima ratione, ingenium philoſoficum ex omnibus alijs Reip. propterea præficiendum oſtendiſſet, quòd hoc tantum rectè perſpicere, & optimè poſſet circunſpicere: ad id in ſeptimo enucleandum deuenit, ut quo nam modo ſit illud erudiendum, & priuſquam hęc inferiora diſponat. qua nam ratione ad illa, quæ cuncta diuinè regunt, & adminiſtrant, ſe conferat inſpicienda, dignoſceremus.

Cùm autem unius extremi cognitio ex alterius appoſitione clarior habeatur: hinc ſimilitudine quadam utrũq; ſe oſtenſurum à dialogi huius principio his uerbis pollicebatur. Poſt hæc naturam noſtram quo ad eruditionem, & ruditatem pertinet, tali quadam imagine contemplare. Hominis quidẽ ruditatem, & ignauia obſcuris his uerbis ſignificauit, inquiens. Finge animo ſubterraneum ſpecus, cuius ingreſſui uerſus lumen per antrum totum

peruius undiq; pateat. In eo homines nutritos à pueritia, ceruicem, & crura ità deuinctos, ut & immobiles permanere cogantur, & ad anteriora ſolum proſpicere: capita uerò uinculis adſtricta circunducere nequeant. Poſt tergum autem ſuperne ac procul ignis lumen ſuſpenſum ſit. Interq; ignē, & uinctos homines uia ſuperior pateat, ſecus quā paries ſit conſtructus exiguus, ſicut plerunq; præſtigiatoribus miracula fingentibus ſcenæ, ſeù cortinę aliquæ, ſuper quibus ſua miranda demonſtrāt, coram ſpectantium oculis apponuntur. Cogita rurſus homines intra parietem ferentes uaſa, & opificia uaria ſupra parietem eminentia, ſtatuasq; hominum, & aliorum animaliū lapideas, & ligneas, modisq; uarijs fabricatas. Atq; ut conſentaneum eſt, qui hæc circūferunt partim ſileant, partim loquantur.

De noſtra tandèm eruditione hæc protulit uerba. Contra uerò nunc animaduerte qualis foret eorum à uinculis ſolutio, ignorantiæq; curatio. Nempè ſi quis eorum ſolueretur, cogereturq; repentè ſurgere, collum uertere, ambulare, lumē ipſum aſpicere: doleret protinus, nec propter ſplendorem intueri poſſet illa, quorum umbras ante cernebat. Conſuetudine igitur primum opus eſt, ſi ſuperna inſpecturus ſit, umbrasq; primum facilius intuebitur. Poſt hęc in aquis hominū, cæterorumq; ima

gines, ipſa uerò deinde: poſtea quæ in cœlo ſunt, & ipſum cœlum nocte facilius contemplabitur, dum aſtrorum, & lunę lumen ſpectabit, quàm ſi ſolem ipſum die, ſolisq; fulgorem intueatur. Atq; ita demùm Solem ipſum conſpiciet. Hæc eſt illius ſimi litudinis ſententia, quam in ſequentibus pro uiribus enucleare curabo, quò facilior, clariorq; huius aſcenſus methodus habeatur.

Breuis eorum habetur dilucidatio, quæ ruditatem noſtram ſignificabant. Cap. II.

PLATO neceſſariam huius quęſiti dilucidationem perſpiciens, & ſe obſcuriſsima quadam ſimilitudine uſum cognoſcens, eam clarioribus quibuſdam uerbis aperire contendit. Speluncam, uel ſpecus nunc carcerem, hanc quam oculis cernimus mundi machinam nominat. Mundialis quidèm hęc machina carcer non animorum, ſed hominum eſt appellanda, cùm à principio dialogi in hoc homines à pueritia dixerit enutritos. Verùm ſi uniuſcuiuſq; animam conſide rare uoluerimus, quod à principio huius libri enucleandum mihi propoſui, particularis animæ carcerem nullum inueniemus alium, quàm particulare, quod eſt ſubingreſſa corpus, cuius rei cauſa ani-

marum deſcenſum execratus eſt aliquando Plato. Huius rei ueritatem hinc licet colligere, quòd nulla quidem alia ratione meditationem mortis philoſofiam ipſe deſcripſit, quàm quòd (ſi tamen fides adhibeatur Alcinoo) non à mundo iſto uiſibili, ſed à corpore anima ſeuocetur, & ad ea, quæ uera ſunt, atque diuina conuertatur.

De hac etiam ſolutione libro de occaſionibus capite quarto his uerbis loquebatur Porphyrius. Antiquos ſcilicet ſapientes diligenter omnia deuitaſſe, quæ animam corpori affigere poſſent. Veritatem iſtam in Pimandro textu ſeptimo præmonſtrauit Mercurius, cum corpus hoc noſtrum prauitatis nuncupat fundamentum, & uelamen opacum. Plotinus tandèm libro de bono, uel uno propterea fœlicitatem hic tantũ animam uoluit deguſtare, quòd impediatur, & illa mentis quies perturbetur à corpore. Si uincula uniuerſali carceri homines alligantia hæc ſunt particularia corpora: hæc ſecundum Platonis ſententiam in Timæo expoſitam nulla ſunt alia profectò, quàm affectus humani, quibus anima coniungitur corpori. Vnum hac in re notatu digniſſimum ſubobſcure in Phędro nobis proponitur à Platone, quod in com. capite. 23. luce clarius explicabatur à Marſilio, tunc ſcilicet per humanos affectus corpori huic diſſolubili animam coniungi, cum ipſi à Platone equi

nuncupati uicerint aurigam:non eum tamen ſupe rant,quin ſit prius ab ipſis coactus : cogitur tandẽ perturbatione quadam praecedente. Sed haec inuitus incommoda non patitur auriga:nam prius ipſe diuinorum contemplationem remiſit, eam intermiſit, & tandem omiſit: cùm tamen perturbationis illius ſit cauſa ſpeculationis remiſſio, coactionis intermiſſio, uictoriae tandem omiſſio. Quid autem luminis, uel Solis nomine intellexerit Plato, non eſt cùr proſequar multis: nàm ipſius boni ydeam ſupremam aſſerit eſſe rectricem, bonorumq; omnium cauſam, quę in intelligibili mundo regeret, ueritatem in lucem edens, & mentem. De hoc lumine, atq; Sole ſexto de Rep. loquebatur Plato, ipſum dicens eſſe ſummum bonum. Sed unum ſcitu quidem digniſſimum ex Platonico promptuario mihi depromo:nam Solem eundem libro de Rep. ſexto bonum nominat, quem tamen dialogo ſeptimo non bonum, ſed ydeam boni ſupremam appellat, & maximo quidem cum artificio. Nãq; ſi ſummi Dei nomina perquiramus à Platonicis, illa quidem duo eſſe dicent, quippè qui & bonum, & unũ nun cupent ipſum:bonum ut ſe per omnia porrigit, unũ quatenus ſupereminet omnia. De Deo quidem ut ſummo bono loqui poſſumus, & intellectu per comparationes, ipſum apprehendimus: ſed quatenus unum libro de bono, uel uno capite quarto, ipſum

ex Platonis ſententia nèc dici, nèc ſcribi poſſe affir mauit Plotinus. Et ſi per negationes, quæ ſunt tamẽ affirmationibus longè meliores de Deo, ut uno in Parmenide diſſerit Plato: munus iſtud hac una tantum ratione ſuſceptum à Platone libro illo de bono, uel uno capite quarto Plotinus uoluit, ut diſputationibus illis noſtrum animum excitet, & ad diuinum ſpectaculum dirigat. Cum autèm huius noſtri aſcenſus finem, & metam optatam Deum Platonici cum præceptore Platone ſtatuunt, eum quidem non ut bonum, ſed ut unum hac ratione ſe nobis oſtenſurum affirmant. Non enim imaginatione corporalia machinante, non mobili ratione mutabile nonnihil ſemper excogitante, non intelligentia tandem ſuapte natura multiplici uarium ſemper aliquid meditante: ſed Deum attingimus unitate intellectu longè ſuperiore. Hinc ſi aſcendendi gradus inſpiciamus, hos à Platonicis enumeratos inueniemus, ſcilicet corpus nihil ex ſe operãs: fórmam non meram, neq; perfectam: animam mo bilem multitudinem: mentem immobilem multitu dinem: Deum tandem unitatem immobilem. Illud tamèn in Platonica diſciplina eſt aſſerẽdum, quòd licet ut finis noſtri aſcenſus ut unus ſit inſpiciẽdus: eius tamen aſcendimus munere quatenus ſe nobis & bonus inſinuat, quemadmodum ſuperius fuit explicatum. Hinc igitur mirum uideatur nemini ſi

dialogo de Rep. ſexto Solem bonum eſſe affirmat, cum ipſum quatenus aſcenſus noſtri ducem conſideret. Sed dialogo ſeptimò non bonum, ſed ydeam boni ſupremam, & unam, & eam quidem omnino indiuiſibilem propterea nominat, quòd Deum, ut finem, & beatitudinis noſtræ fontem, ac originem contempletur. Si autem paucis interpoſitis hanc metam noſtri aſcenſus bonum appellat: iſtud tantum ideò Platonem dixiſſe arbitror, quòd bonum, & unum re ipſa non diſcripent, notioribus, in re tamen difficili, terminis uſus: quod à principio libri de primo enunciato ſummi boni fuſius declaraui. Reliqua, quæ de uia ſuperiori ad ſuperiora patente, de pariete illo exiguo, & de materialibus ſtatuis dicebantur, ſunt hunc in modum intelligenda. Via quidem nos ad ſuperiora deducens corporibus cœleſtibus, & glorioſo Deo, tanquàm terminis quibuſdam clauditur, quoniam horum omnium inferiorum cum intermedijs quoque ſunt cauſę, atque principia. Quare paries iſte exiguus nullus eſt alius profectò, quàm elementorum quatuor iſta congeries; à quibus homines intra ſpecus ſtatuas illas materiales ideò deferunt, quòd hic quicquid fit & reperitur, id omne quatuor tantùm elementis referunt acceptum. Homines ſtatuas intra ſpecus aſportant, quoniam horum ſenſibilium ſimulachra ab hominum ſenſibus, tùm cęteris animabus com-

munibus, tùm proprijs intro deferuntur. Hinc homini membris omnibus impedito, & arctiſſimis iſtis uinculis deuicto id accidit dedecoris, & detrimenti, ut materialia tantum, & ſenſibilia, quæ ſibi à ſenſibus ponuntur ob oculos, & ſubobſcure quoq; inſpiciat. Anteriora quidèm ſolum deuinctus ille homo uidet, quoniam cum anima partum emiſerit inferiores eius in lucem educens facultates, quæ particularia tantum reſpiciunt hic, & nunc terminata: hinc anteriora ſolum poteſt ille homo inſpicere, ſed ſubobſcurè. Cum enim unius ſummi boni ope, atque auxilio, cuius ſplendor fulget in omnibus, eſſentia quęlibet in functionem propriã exeat: cumq; in ſummo tantum intelligentię præcipuè luceat, hinc tantum abeſt, ut ſenſuum munere quod eſt in rebus ydeale perſpiciat homo, ut ipſi potius obſtent tanquàm nubes. Vnde non res hominem hunc deuinctum, ſed rerum umbras, & imagines Plato dixit intueri, quoniam ſunt umbræ, cum non ſint ydeæ, ſed ydeas tantum participent, quemadmodum libro de anima, & Dęmone Proclus nobis expoſuit: & ex Platonis Parmenide in commentarijs ſibi doctiſſimus ille Marſilius deprompſit.

De animæ rationalis à uinculis ſolutione Platonis ſententia exponitur. Cap. III.

POSTEAQVAM *imperitiam, & incommoda multa, inquæ deſcendens labitur anima, premonſtrauit Plato: de illius eruditione, à uinculis illis ſolutione, & (ut uno uerbo dicam) de reditu ad ſuperna loquebatur his uerbis.*

Nam ſi quis eorum ſolueretur, cogereturq́; ſurgere, collum uertere, ambulare, & lumẽ ipſum inſpicere: ac ſi à uinculis tunc liberata ſit anima, ſi ſurgere, ambulare, collum uertere, & lumen inſpicere poſſit. Hoc autẽ nihil eſt aliud profectò, quàm impetus quoſdam extirpare, & nonnullos ſaltèm moderari, à ſenſibilibus ad intelligibilia ſe conuertere, menteq́; diuino lumine iam illuſtrata, quinetiam illi connexa, uiuere. Sed cum non ſtatim hęc fieri poſſit conuerſio, & hoc diuinum lumen non intueamur à principio: hinc conſuetudinis cuiuſdã nobis opus eſſe opera ipſe præmonuit. Non enim ſtatim hæc colli fit conuerſio, nam extrema duo ſine medio pertranſiri non poſſunt. Duplici autem ex cauſa corporalium aciem perturbari dixerat Plato, uel cum ex lumine labimur ad tenebras, uel

cum à tenebris prodimus in lucem. Sed quoniam ex ſuperius dictis patuit animam à lucidiſſima uita deſcendentem nouis tenebris obrui: ipſam igitur ab inſipientia plurima ad fulgidum ſpectaculum per aſcenſum conſurgere, ut dicamus eſt neceſſarium: cuius intelligibiles oculos ſub coruſco nimiū ſplendore deficere his uerbis dixerat Plato. Doleret protinùs, nec propter ſplendorem intueri poſſet illa, quorum umbras ante cernebat. Conſuetudinē quidem iſtam ex Platonis ſententia aqua præcedit, ter ab eodem nominata: à qua tamen conſuetudine nunquam lumen reijcitur, ter & ipſum quidem nominatum.

Si autem & hanc conſuetudinem aqua conſtitui uiſus eſt ſenſiſſe Plato, hac ſolum ratione iſtud aſſeruit: quoniam dùm luminis beneficio repreſentat imagines, nos Pythagoricum morem obtinentes, rerum intelligentiam referre putabimus. Quarè cum ante conſuetudinem aqua ſola ſit neceſſaria, & in conſuetudine abſoluenda lumen potiores obtineat partes: in aſcenſu hæc duo neceſſaria eſſe dicemus. Cùm autem ſit aquæ lauare, atque purgare, luminis uerò facere, atque demonſtrare: hinc ea, quorum primò aſcendimus beneficio, & animi purgationem eſſe dicemus, atque diuinorum contemplationem. Sed ut hanc Platonicam diſciplinam ad uiuum uſque reſecare poſſimus: illud eſt di

ligentèr notandum contemplationem noſtri aſcenſus finem non eſſe, ſed gradum illius ſupremum; undè cùm de conſuetudine, eiusq; partibus ſermonem habuiſſet Plato, hæc deindè ſubintulit uerba. Certum eſt hunc illuc hiſce gradibus aſcenſurum. Si res autem itá ſe habet cum Marſilio ſuper librũ quid animal, & quid homo capite ſecundo ut aſcẽdamus, ſolutionis dicemus duplicis nobis opus eſſe opera, quarum una purgatione animi perficiatur, reliqua uerò habebitur, ſi animæ rationalis apice ſpeculabimur, Primam à corpore ſolutionem ſignificauit Plato, cùm philoſofiam mortis eſſe meditationem eſt profeſſus; cum ſeptimo de Rep. nè ſit ſapiens malus, omnia illa dixit amputãda eſſe à pueritia, quæ ſunt generationis affinia, ceù plumbea pondere, quæ comeſtionibus, & huiuſmodi uoluptatibus, & libidinibus, atq; delitijs inhærentia, mentis aciem ad inferiora detorquent. De altera tandèm tunc intelligendus eſt Plato, cum in Timæo dixit explicare uelle diuina, eſſe pluſquam uires noſtræ ſufficiant. Vtrãq; tandem ſeparationem diuinè admodum ſignificauit Plato, cum epiſtola ſeptima diuturna circa idipſum conſuetudine, uitęq; ad ipſum coniunctione diuina percipi poſſe aſſeuerauit. Vnum tamèn hac in parte ſilentio non pretereundum iudico, nulla ſcilicèt ratione alia Cabaliſtas quoſdam Terentianum dictum ſibi delegiſſe,

quo

quo ad ſplendidiſſimum Solem cernendum, fidem, ac taciturnitatem aſſereret neceſſaria: quàm quòd ampliſſimis tantum cogitandi, & credendi uiribus iter illud arduum peragamus. Sed cum ex morali philoſofia fidem confluere epiſtola decima ſenſerit Plato; & cum Pythagoras taciturnitatis beneficio nos libere uelit contemplari: hinc optimo iure huic aſcenſui duo hęc dixit eſſe neceſſaria. Hæc ſit Platonis ſententia, pingui quidem minerua depicta: quæ tamen in ſequentibus luce clarius dilucidabitur.

De animi purgatione quid ſit Platonicè ſentiendum enodatur. Cap. IIII.

PRIMVM huius noſtri aſcenſus gradum animi purificationem eſſe conſtituit Plato. Quinetiam tantum abeſt, ut iſta ſecluſa poſſimus aſcendere, ut ex certaminibus tribus, in quibus ex Platonis ſententia in Phædro uictoriam domum reportare debemus, hoc ſit primũ & nequaquam ponendum in minimis: inferiores ſcilicet animæ uires intelligentiæ omnino eſſe ſubdendas, Si quis autem cauſam quærat, cur hęc dixerit Plato, Porphyrium conſulat, qui libro de occaſionibus hæc habuit uerba. Dum ad incorporea

ſtudemus aſcendere, duo potiſſimum meditari debemus, tum qua ratione eſſe materiale, caducũq; deponamus, tum etiam qua uia præcipue reuertamur, contraria ſcilicet uia redeuntes ad illa, per quam ad hæc noſtra deſcendimus. Quare ſi quæ iã adducta fuerunt in medium conſideremus: ea quidem nos ad hoc aſſerendum deducent, quòd tunc gradum iſtum aſcendimus, cum à ratione recta equos perturbari permiſerimus, illos intellectum cogere, & unius tandem mentis beneficiores ſuperare uoluerimus. Huius primi gradus utilitatem, quinetiam neceſſitatem hinc maximus ille Tyrius ſermone primo deducebat, quod cupiditates ſpeculationem impediant. Et dialogo de Rep. ſeptimo plumbeis iſtis ponderibus aciem mentis ad hæc inferiora detrudi uoluit Plato. Unde ter maximus ille Mercurius in Pimandro capite primo aciem mentis ad ſuperna ſe non prius erexiſſe fatetur, quòd ſopiti non fuerint corporis ſenſus: quemadmodum ijs ſolet accidere, qui ob ſaturitatem, uel defatigationem ſunt ſomno grauati. Si cauſam tandem inueſtiges, qua ductus Lyſis Hipparco non potuerit non ſubiraſci: huc quidem ipſius uerba ſpectare cognoſces, quòd contra Pythagoræ præceptoris præcepta non ſolum omnibus ea uoluerit porrigi, quæ ipſi tot laboribus fuerunt adepti: ſed etiã quoniam intemerata philoſophię pręcepta cum ijs com-

munia cenſuerit facienda, qui ne ſomniare quidem animi purificationem potuerunt. Hanc autem animi purificationem non ſolum triplici ſimilitudine à tinctoribus, à puteo cęno pleno, & à Sylua deſumpta neceſſariam eſſe ſignificauit, ſed in eam quoq; abſoluendam uiribus omnibus nos incumbere debere his uerbis aperuit. Operepretium eſt igitur recenſere quantum temporis in abſtergendis maculis, quæ noſtris inceſtæ corporibus erant, conſumpſerimus, antequam præcepta illius percipere digne poſſemus. Hanc eandem ſententiam Platonem habuiſſe conſtat, cum epiſtola ſecunda Dioniſium moneat, ne diuina illa arcana in aures hominum permittat excidere, qui diſciplinæ ſunt, & eruditionis penitus expertes. Cum autem res ita ſe habeat, mirum uideatur nemini, ſi epiſtola decima philoſofiam, quæ ad mores componendos perducit, ueram ſcientiam eſſe dixerit: alias uerò, & ad alias declinantes ſcientias, & facultates quædam tantum ornamenta nuncuparit. Nāq; ſi contemplationis humanæ beneficio mala hæc non poſſumus ſubterfugere, & hæ facultates non firmitatem, non fidē, neque ſinceritatem aggenerant, quæ tamen uirtutes ex illa morum ſcientia nobis confluunt. Hinc igitur diſciplinas illas Marſilius dixit extrinſecas, & hanc philoſofiæ prædicauit eſſe ſubſtantiam. Libro quoque de occaſionibus non in uerborum accu

mulatione, & diſciplinarum multitudine uitam beatam conſiſtere putauit Porphyrius: ſed nunc illius nos effici compotes cenſuit, cum hanc uitam in illam diuinorum tranſtulerimus: cum à rebus ſenſum mouentibus, ſenſuumq; paſſionibus ſeparati fuerimus. Quanti autem fidem fecerit Plato, ex eiuſdem uerbis licet colligere: nam in Timæo cũ ad diuinorum explicationem uires noſtras non ſufficere conſpexiſſet; ad eos, qui ante dixerunt, confugiendum putauit hac ratione uerbis iſtis explicata. Ex Deorum enim (ut ipſi teſtantur) progenie orti ſunt: ideoq; maiores ſuos certius nouerant. Quapropter nefas eſt Deorum filijs non credere, quanquam nulla demonſtrationis neceſſitate loquãtur. Sed quoniam ſua pronunciare fatentur; obtemperandum legi, atq; eis fides eſt adhibenda. Et in Gorgia licet de inferis illis iudicibus, & de ſupplicijs loqui apud aliquos eſſet nugari: dicebat tamen Plato. Hæc ſunt Callicles quę ego opinor eſſe uera. Et ibidem etiam inquiebat. Mihi igitur Callicles his uerbis omnino perſuaſum eſt. Quam ueritatem intrinſecam ſcilicet pacem, & fidem cõiungens Proclus, his uerbis explicauit. In omnibus, qui ad ſummum bonum peruenire cupiunt, non ſcientia, non ingenij exercitatione opus eſt: ſed firmitate, ſtabilitate, quiete, tranquillitate, quod (ut ſummatim dicam) fides Deorum eſt, quæ nos ad ſummum bo

num, & Deorum, ac Dęmonum omnia genera, atq; animas beatas ineffabili ratione tradit, atque coniungit. Non enim per ſcientiam, aut operationẽ ullam ingenij exquirere ſummum bonum, aut ad ipſum aſpicere debemus: ſed offerre, commẽdareq; nos diuinę luci: & præcluſis ſenſibus, in illa incognita, & occulta entium unitate quieſcere. Hoc enim fidei genus omni doctrina antiquius eſt Pythagoricum tandem hoc fuit præceptum: nam iſte ueritatis dictator cum ad ſummam ueritatem omni cura & diligentia iter aſcendendi perquireret: laborare primum gradum eſſe adinuenit. Quod quidem uerbum nihil aliud nobis ſignificare Cabaliſtæ quidam dixerunt, quàm per diſciplinas morales animam à curis, & moleſtijs omnibus liberare.

Quæ nam animi purgatio ex diſciplinis moralibus nobis confluat, oſtenditur. Cap. V.

PLOTINVS *libro de uirtutibus capite ſecundo, & ibidem Marſilius duos in nobis adinuenerunt motus, quos pondera cum Platone nos ad hæc inferiora detrudentia, poſſumus appellare. Quidam enim ſunt ſubiti, & hi optimo quidẽ iure dicuntur impetus: à quibus alij deducuntur, qui animum noſtrum exagitant extrinſecus. Priuſquã*

conſultet rationalis anima, uel animaduertat ima ginatione. Reliqui uerò uel ſuperioris animaduerſionem imaginationis ſequuntur: uel rationis conſilium ſiue temerarium ſit, ſiue maturum, deprauatum tamen, & falſum. Hi ſunt motus, quorum culpa rationalis anima euaſit multiplex, huc coacta eſt deſcendere, & de ſummo bono relicto, tot malis, & incommodis non potuit nõ obrui. Verùm moralium uirtutum munere ab exitio rationalis anima liberatur, in unitatem ſibi propriam redit, & priſtina leuitate iam recuperata, ad diuinum influxum apta eſt recipiendum. Hinc etiam quare purificationes iſtæ uirtutes dicantur, omnibus licet colligere: quandoquidem harum ope, atq; auxilio anima exiſtens mala fit bona. Eſt autem mala, quoniam corpori commixta, cum quo patitur, ad inferiores uires declinans, & per omnia opinione conſentit. Fit quidem rationalis anima bona, cum liberatur à corpore: ſed liberatur, quoniam ſola agit, neq; compatitur. Sola quidem agit, quia intelligit, atq; ſapit: non autem compatitur, cum temperata ſit, iuſta, & fortis. Temperata eſt anima, cum corpore igitur non conſenſit. Iuſta, uires ergo inferiores non reluctantur, menti reddens, & rationi quę mentis ſunt, & rationis: ſenſibus quoq; quod neceſſariò ſibi conuenit. Fortis tandem eſt, quare ſeceſſum à corpore cupis, tantum abeſt ut illum me-

tuat, ſed ad purificantium uirtutum diuiſionē reliquum eſt deuenire. Plotinus libro de uirtutibus cum propter motus illos uirtutibus purgatorijs nos indigere deprehendiſſet, tres eſſe putauit, quarum beneficio Deo ſimiles redderemur ſcilicet ciuiles, purgatorias, & illas animi iam purgati. Ternario quidem numero uirtutes iſtas ideò diſtingui putauit Plotinus, quòd & in hac animæ noſtræ liberatione, purificationeq; tria ipſos exequi ſit neceſſarium. Nāq; motus primi ſunt ſaltem reprimendi: illos deinde ſecundos uel per has uirtutes radicitus extirpamus, uel aliqua ex parte moderamur. Fieri enim nequit, ut purgata dici poſſit rationalis anima, quæ motu ſecundo ad ea, quę ſunt extra detruditur: quoniam uel ſemper, uel minimo ſaltem negocio ad hæc interiora impellitur. Quare cum poſt ipſorum moderationem (primis tamen relictis) ipſi tandem radicitus erunt euulſi, nos Deo, Dæmoniq; poterimus comparari, quippè qui nonnullis adhuc tangamur affectibus. Sed iſtis funditus euerſis uix primos etiam moderati fuerimus, cum ſecundum Dauidis placitum Dij non iniuria poterimus appellari, quippè qui puri ſimus, & purum quodlibet eſt diuinum.

Ad deprimendos autem motus ſecundos quorundam uirtutum, quę ciuiles dicuntur, nobis opus eſſe opera putauit Plotinus, pro tempore cupidi-

tatis ardores extinguentes, iram ſedantes, perturbationes moderantes, animum extra collocantes, modumq; tandem uiuendi ſuſcipientes. His autem uirtutibus licet ſedes ultimas accommodarint Platonici: ipſas tamen in minimis ponẽdas noluerunt, cum per ipſas etiam ad Deum propius accedamus, quàm beneficio formæ materia. Materia quidem (ut libro de uirtutibus capite ſecundo dicebat Plotinus) per formam ideò ſimilis fit primo principio: quoniam exiſtit in actu, ex quibus duobus fit corpus: ſed anima ex ſui natura Deo eſt proximior, quàm corpus. Quæ igitur anima uirtutes iſtas ſuſceperit, tantum abeſt, ut recedat à Deo, ut ipſa Deus appareat, inducatq; ſuſpitionem, an Dei ſit hoc totum. Munus autem alterum circa ſecundos impetus iſtos peragẽdum, quod euellere ſcilicet ipſos eſt radicitus, uirtutibus illis demendarunt Platonici, quæ dignitate quadam purgatoriæ nuncupantur. Illę tandem animi iam purgati accedunt, quarum eſt quidem non ſolum ſecundos motus extrudere penitus: ſed primos etiam uel ratione, uel conſuetudine aliqua moderari. De his motibus radicitus euellendis, uel deprimendis diuine libro de anima, & Dæmone philoſofatus eſt Proclus, inquiens. Animæ deſcendenti adnatæ ſunt ex mundo multiformes uitæ, ueſteſq; uariæ, trahẽtes quidem ipſam in compoſitionem caducam, obſtantes

autem contemplationi. Oportet igitur animã hinc ad naturam illam peruigilem ducendam, amputare ſecundas, tertiasq́; uires deſcendenti ſubortas cohibere impetus extra ferentes. Hæc eſt, quæ ad aquam ter nominatam, ad moralem ſcilicet purgationem pertinet, Platonis ſentẽtia, pauciſſimis uerbis explicata.

Quæ primò Platonicam conſuetudinẽ abſoluant, recenſentur. Cap. VI.

DE cõſuetudinis partitione in ea, quę ipſam conſtituunt, atq́; perficiunt, licet non ſit facile iudicare: quæ tamen ex Platonis dictis colligi poſſunt, pauciſſimis explicabo. Plato igitur cũ diſciplinas, quæ mentem ſurſum attollerent, maxima cum diligentia ſeptimo de Republica inueſtigaſſet: ipſas non tantum adinueniſſe conſpicimus, ſed ab eodem quoq; nobis conſluit regula; cuius beneficio hanc aſcenſui noſtro conferre, illam uerò reijciendã poſſimus aſſerere. Res enim illæ ſenſibiles, quę à ſenſibus ſunt ſufficienter iudicatę, hę quidèm non prouocant intelligentiam, nec ad eſſentiam mentem attollunt. Ea tandèm à ſenſibus ſufficienter iudicãtur, quæcunq; in contrarium ſimul ſenſum non in-

cidunt. Hinc oppoſitas his diſciplinas eas eſſe uidemus, quæ ſubincidunt in contrarium. Ex hac autẽ Platonis ſpeculatione, primam huius conſuetudinis partitionem eſſe depromo, quę à naturalibus duces originem, per mathematicalia ad metaphyſicalia uſq; perueniat. Hanc autem regulam his diſciplinis tunc accommodaſſe Platonem deprehendimus, cum à lucerna ad Lunam, & ab hac ad Solem rationalem animam putauit attolli. Hinc in hoc de Rep. ſeptimo poſteaquam conſuetudinis munere nos dixit aſcẽdere, hæc ſubintulit uerba. Vmbrasq; facilius intuebitur, poſt hęc in aquis hominum, cæterorumq; imagines, ipſa uerò deindè. Et paucis interpoſitis inquiebat. Certum eſt huc illum hiſce gradibus aſcenſurum. Vmbræ quidèm dicuntur materialia, cum in ipſis confuſius præ cæteris diuinus fulgor effulgeat. Materialia quoq; nuncupantur, quoniam (ut in argumento ſeptimi de Rep. Marſilius inquiebat) & communi, & propria materia indigent. Mathematicalia autem ſecundum ſibi locum occupant, quoniam uel communi tantum materia indigent, & non propria, ut dimenſiones: uel nulla, ut numeri. Diuina tandèm per ſe ipſa eſſe dicũtur, quoniam ab omni prorſus, & quomodocũq; materia ſunt ſeparata.

Ex his autem quę nunc in medium adducta fuerunt, illorum ſententiam à Platonica diſciplina cõ-

ſtat eſſe ſemotum, qui naturalium cognitionem tantum abeſſe putarunt aſſenſui noſtro conferre, ut eam potius cauſam dixerint fuiſſe deſcenſus. Illam tamen in Phędone deteſtatur Plato naturalium cognitionem, quæ in naturalium effectuum omniũ cognitione ſiſtit gradum: & ſi eos reducit in cauſam, ad elementarem tantum perueniet. Hæc quidem eſt peſſima occupatio, & miſeria maxima ſunt illi oppreſſi, qui nimium occupantur in ea. Hęc naturalis eſt philoſofia, quam ſermone. 37. in uerbis, nominibus, in artificioſis ſermonibus, in redargutionibus, rixis, ſophiſticisq; argumentationibus conſiſtere dixit maximus ille Platonicus Tyrius, cuius in ſcholis minimo negocio præceptorem inuenimus. Illam tandem philoſophiam ſemper abhorruit Plato, quam bono reiecto tantopere celebrato, ſermone. 16. nudam, & ob nimiam familiaritatem cum cœtibus depreſſam, miſeris, ſophiſticisq; argumentationibus inhęrentem Tyrius predicauit. Huius quidem finem ſi quis examine diligenti perpenderit: hunc nullũ inueniet alium, quàm Epicuri Atomum, Heracliti ignem, Thaletis aquam, Anaximenis ſpiritum, Empedoclis contentionem, & Diogenis dolium. Diuinus autem Plato cum non ſolũ actiones omnes, & ſi honeſtiſſimas, nihili faceret, & ſpeculationes in minimis poneret, quæ ad diuinum bonum percipiendum nõ conducerent: ſed eas

etiam deteſtaretur ab hoc aſcenſu nos reuocantes: hinc in Timæo naturalium ſpeculationem paucis admodum abſoluere uoluit: & ibi, in reliquisq; dialogis hoc unum curauit, ut animum noſtrum à ſenſibilibus ad intelligibilia conuertendum moneret. Et ſi accuratiſſimus iſte dux huius aſcenſus purgatorio ferè ſemper, & exhortatorio ſcribendi uſus eſt ordine: Iamblicus etiam in quem nam ſcopum aciem mentis dirigere debeamus, oſtendit, cum libro de miſterijs nullam ſolutionem aliam, prẹter Deorum cognitionem dixerit reperiri, quam religioſæ, ſacræq; eleuationis finem Aegiptios conſtituiſſe teſtatur. Hanc eandem ueritatem libro de occaſionibus breuiſſima oratione ſignificauit Porphyrius: qui cum mortis meditationem aſcenſui neceſſariam perſuaſiſſet: Scopum contemplationis his uerbis aperuit. Præterea reminiſci beatæ, & æternæ ſubſtantiæ. Sed unum remanet dilucidandũ, cuius forte culpa iam dictis fidèm quis adhibere non poſſet. Nãq; ſi aſcenſui huic confert effectuum naturalium cognitio: quis huic debeatur locus nõ depromimus tamèn ex Platone: quinetiam ſi ſpeculationem de aſcenſu ab ipſo habitam intueri uoluerimus: de hac naturalium cognitione nè uerbum quidem factum deprchendemus. Plato enim cum ſimilitudinem illam aliqualiter dilucidaſſet, & contemplantem ab illa ſpeculandi prouincia propter

Reip.utilitatem reuocandum eſſe declaraſſet: quid in ſequentibus declarare uellet, aperiebat inquiēs. Vis ergo nunc inquiramus quo pacto tabes in ciuitate uiri euadant:& qua ratione eos aliquis in lumen educat,quemadmodũ ab inferis ad Deos aſcēdiſſe aliqui memorantur.Hęc,ut uidetur, non erit teſtæ reuolutio, ſed animæ circunductio à nocturno quodam die,ad eius,quod uerè eſt, contemplationem:quem quidèm aſcēſum ueram philoſophiã eſſe dicemus.Subintulit tandem Plato, An nõ inueſtigandum eſt,quæ diſciplina potiſſimũ hanc habeat facultatem? Quæſito huic ſatis non eſt difficile facere:nam cum Geometricę ſuccedat Aſtronomia,cumq; non per influentias huc demiſſas, ſed ex orbium,ſiderumq; natura deprehenſa,& motus perpetuitate cognita in diuinorum contemplationem erigamur,& deducamur: hinc naturalem facultatem aſcenſui conferre,& hoc in loco conſtat eſſe addiſcendam. Non enim Aſtronomus ſuper Cælum aſpiceret,ni prius,ut naturalis & cælum, & quę ſunt in ipſo diligenter fuiſſet intuitus.Huius tandèm facultatis neceſſitatem, & uſum libro de occaſionibus tunc ſignificauit Porphyrius, cum de effectuum conuerſione ad uniuerſales cauſas ſermonem haberet,gradum primum eſſe aſſerens,hęc ſcilicet inferiora ad corpus uſq; mundanũ referre. Treș igtiur principales huius conſuetudinis partes

naturalis facultas, mathematica, & metaphyſica recenſentur à Platone.

De Mathematicalium diſciplinarum iuuamine. Cap. VII.

REIECTA igitur effectuũ oĩum naturaliũ ſpeculatione, poſteaquã cum Aſtronomia nonnulla ſunt addiſcenda: reliquum eſt in præſenti illam Platonis aperire ſententiam, qua mathematicas diſciplinas aſcenſui huic conferre plurimum, quinetiam neceſſarias eſſe profitebatur. Huius autem diſciplinę partes quinq; numerantur ab ipſo ſcilicet Arithmetica, Geometria Stereometria, Aſtronomia, & Muſica. Quas quidem facultates cũ Pythagorico more, qui eſt omnia, licet maximè ſenſibilia intellectualiter intelligere, fuerit ipſe conſecutus: hinc unicuiq; propriũ munus demandat Plato, aſcẽſui noſtro neceſſariũ. Non eſt autem una ratio, qua Plato ductus hanc diſciplinam primum locum occupare uoluerit: nam cęteris omnibus eſt mathematicis communior, cũ mechanicis artibus conueniat, & liberalibus, numero indigentibus. Verùm negocium iſtud diligentius cum conſideraſſet Plato, duabus alijs ex cauſis prmo loco Arithmeticam recenſuit: nam (ut

nunc nunc dictũ fuit) & hęc prima eſt ex mathematicis, quæ primum diuinæ contemplationis incitamentum præbet: & ſi à faciliori ſpeculando incipiens intellectus, acutior reddi poteſt: huius diſciplinæ beneficio acumen ſibi nanciſcitur. Geometriam ſecundo loco addiſcendam uoluit Plato, quæ propterea ſtatim ſequitur Arithmeticã, quòd ex mathematicorum ſententia punctum magnitudinis cuiuslibet principiũ, unitati, ut ſpecies ſupponatur. Et ſi linearem, ſuperficialem, planum, cubum, quadratum, uel circularem numerum appellamus: nõ hic tamen Geometriæ ſubſternitur, ſed Geometricis tantum nominibus numerorum ſpecies exponũtur. Cum ex diuiſione continui numerum profluere dicimus: de materiali tantum hoc audiendum cenſeo. Diſciplinas uerò reliquas Geometria præcedit, cum de paruo, & magno orationem inſtituat, quorum eſſentia communis eſt omnibus diſciplinis. Et quoniam per Geometricam ſpeculationẽ à magno, uel paruo, quod in magnitudine corporea eſt, erigimur ad incorpoream, & ad poſtremam unã conſiderationem euehimur, quæ maxima eſt, & propemodum infinita, cæteræ uerò diſciplinæ particulariori quodam modo nos ad diuina conducãt: hinc etiam cæteras mathematicas Geometria præcedit. Sequitur Stereometria, quam licèt honore non proſequantur hommines, nec, quoniam inuen-

tionis eſt difficilis, ardenti quodam deſiderio perquiratur; Aſtronomiæ tamèn confert, quæ circa profundum uerſatur; & hanc ipſa nobis utilitatem affert, quòd eius munere cuborum augumentum conſiderantes, ad id tandèm, quòd omnia ſupergreditur, peruenimus. Aſtronomia illa eſt facultas ex mathematicis, cuius ductu contemplamur ſuperna, & conſcendimus ſuper ſydera. Quare dies non comparabimus noctibus, ſed ex ſplendore ſyderum ad diuinum lumen eſt aſcendendum; & ex cœlorũ motibus ad motorum eſſentias eſt deueniendum cõtemplandas, quouſq; ad principium illud prouehamur, à quo cœlum pendet, & natura. De Muſica tandèm Plato ſermonem habebat, quam ultimo loco ideò poſitam arbitror, quòd reliquæ præter Aſtronomiam communia quædam omnibus perpendant: Aſtronomia uerò ad cœleſtium corporũ inſpectionem deduxerit; & quoniam poſt huius diuini corporis conſiderationem animæ, ad quam hoc ſtatim refertur, ſequitur contemplatio, quam animam ex harmonicis proportionibus Platonici omnes fatentur conſtitutam: hinc & diuinè quidem miro artificio muſicam Plato poſtremo in loco collocauit, cuius eſt animam ad ſpiritualem harmoniam percipiendam deducere.

De poſtnaturali facultate, eiuſq; utilitate. Cap. VIII.

ERAT *pars conſuetudinis altera, à Platone dialectica nuncupata, mathematicis quidem diſciplinis lōgè præſtantior, & aſcenſui noſtro maximè neceſſaria. Hæc quidem ens habet pro obiecto, quatenus ens, cum entia ſpeculetur, & non entia, quæ ſunt materia, resq; materiales. Sunt autem entia uel in quibus non eſt omnino materia, uel non regnat. Non eſt quidem in Deo materia, cæterisq; abſtractis (de ſenſibili enim materia fit ſermo) nec etiam in ſeparādis, quales ſunt animæ noſtræ: non regnat autem in corporibus cæleſtibus. Propter quod naturalem diſciplinam nuncupauit opinionem: quoniam quę ortui, interituique ſunt obnoxia conſiderat. Metaphyſica uerò quia ens uerum reſpicit, ſcientia, quinetiam ſapientia iure optimo dici poteſt ſi ea tamen ſit hoc nomine digna, quæ ſempiterna reſpiciat. Vtriusq; naturam ſapiunt mathematicæ, quæ rerum eſſentias quodā modo ſomniare uidentur. Huius ſcientiæ principia certiſſima libro de triplici aſcenſu capite quinto, poſuit eſſe Plotinus, nam emanant ab intellectu, licet aliqua forte anima hoc non poſſit accipere.*

Et quemadmodum hæc ſcientia per omnem tranſit entis latitudinem : ab ipſa etiam aliquid accipiunt ſcientię reliquæ: quinetiam dixit Plotinus ſine hac, & nullam eſſe ſcientiã, & mores eſſe imperfectos.

Obiecta quædam recenſentur, illaq; funditus euertuntur. Cap. IX.

PLVRIMA quidem ſunt, quæ iam dicta uidentur deſtruere, quęuè Platonem in erudiendis hominibus maxima commiſiſſe peccata teſtantur. Grammaticam primum omiſit, cuius neceſſitatem hinc facile admodum ille ſibi depromet, qui peculiaribus uocibus conceptus animaduerterit exprimendos. Silentio quoque artem pertranſiuit rethoricam, cuius tantum beneficio in Reiplubicæ cauſis exponendis intima cordium penetramus. Si etiam artes, & diſciplinę quęlibet ordine quodam ſunt tradendę, & acquirendę: & ſi nihil attingimus certi, niſi quod proprijs inſtrumentis aſſequimur: ſi tandem, ut placuit Iamblico logica philoſophiæ ſpiritus eſt nuncupanda, quippè quæ obſcuris facilitatem, dubijs declarationem, confuſis diſtinctionem uniuerſiſq; tribuat diuiſionem, hinc mirum uidebitur omnibus, nec adinuenient rationẽ facile, qua-

re ipſam cæteris non præpoſuerit Plato. Ambiguũ & à ueritate fortè alienum in mathematicis recenſendis commiſcuit, poſt Aſtronomiam Muſicam collocans, quam tamen affiniorem eſſe Arithmeticæ conſtat, cui uerè ſubijcitur, & à qua propria ſibi deſumit principia.

Verùm hæc, quę ſunt adducta facile admodum proſternuntur. Non enim Grammaticam, tanquã non addiſcendam, ſubticuit: ſed cum ipſius neceſſitatem luce ipſa clariorem cognoſceret, nec ad fœlicitatem parandam, tanquam principem, ſed ut famulam tantum cognoſceret accedere: hinc ſilentio prætermittendam putauit. Hoc idem de Rethorica eſt aſſerendum, quę quoq; uim illam penetrandi nõ niſi ex uirtutum efficacia ſibi deſumit. Dialecticæ uerò neceſſitatem, eiusq; utilitatem licet à principio non expreſſerit: eam tamen in minimis ponendam non cenſuit; quam non ante, ſed poſt metaphyſicam nobis propterea uoluit acquirendam, quòd tunc animus in ueris, arduisq; ſpeculationibus iam enutritus, non amplius futili gloria efferatur, nec cæteris diſciplinis poſthabitis, in argutijs quibuſdã ſe, aliosq; decipiens, conterat tempus. A calumnia tãdem, qua propter muſicam Platonem irretitum teneri arbitrabantur quidam, ipſe facillime liberatur, cum hac una de cauſa Muſicam Aſtronomiæ affiniorem putarit, quòd modo quodam particula-

ri nos ambę deducant ad diuina. Nec mirum uideatur alicui, ſi hoc in loco Geometriam præponat, Aſtronomiæ, ac naturali: nã & illa eſt ſimplicior, & longè facilior, quem facilitatis ordinẽ diligentiſſimè Platonem obſeruaſſe conſpicimus.

De Aſcenſu ſecundum alios Plotini recenſetur opinio, & reprobatur. Cap. X.

PLOTINVS libro illo, qui ex doctiſſimi Marſilij ſententia de animarum potius aſcenſu ad ſummũ bonũ, quàm de Dialectica, eſt inſcribẽdus: cum ad ſummum bonũ, tanquam ad noſtrum proprium finem hominẽ peruenturum ex multis dixiſſet conſtare: non omnes tamen ad hoc arduum iter peragendũ idoneos arbitratus, quis nam illucusq́; cõſcenderet poſteaquã multum, diuq́; ſecum conſiderauit: is tandem munus iſtud aſcendendi demandat ſcilicet philoſopho, amatori, & muſico. Quæ quidem ingenia licet Plotinus nobis explicet, & uniuſcuiuſq; aſcendẽdi modum præmonſtret: quæſitum tamen iſtud, non ſatis aperte uiſus eſt dilucidaſſe, an ſcilicet hæc tria ſimul quilibet huius aſcenſus cupidus exequi debeat uel ingenium ſingulum ſit ad fœlicitatem acquirẽdam idoneum. Quæſitum quidem iſtud lib. de ani-

ma ſexto,cap.59. elegantiſſimus ille Chriſtophorus Marcellus pauciſſimis uerbis abſoluit, inquiẽs arte amatoria ſola(cæteris tamen uirtutibus habitis)ad fœlicitatem animum debitè præparari. De Muſica uerò ſe cum Plotino ſentire tunc credidit, ſi quatenus cum amatoria incedit muſica, illã nos ſurſum attollere fateretur. De philoſophico tãdem ingenio hanc ipſe ſententiam habuit his uerbis explicatam.Philoſophum uerò,& amatorem,& muſicum euadere opus eſt, cum & pulchritudinẽ admirari,& eamet delectari cogatur. Ex hac itaque quæſiti huius dilucidatione doctrinam iſtam nobis depromere poſſumus,amatorium ſcilicet primum locum ſibi uendicare,illudq́; ſeorſum ſurſum conuolare. Muſicum unà cum amatoria arte conſcendere:philoſophicum tãdem utriuſq; beneficio ad metam optatam perduci.

Hæc reprobatur opinio. Cap. XI.

VERVM ſi Plotini,quinetiam ſi Platonis ipſius animo æquo uerba conſideremus: tãtum abeſt ut philoſophicum ingeniũ amatorij muſiciq́; munere ad diuina conſcendat,ut ipſum tantum uoti compos efficiatur,cæteraq́; duo illuc ſe conferre non poſſint,ni prius intra

philoſophici limites ſe receperint. Quòd autem res ita ſe habeat, ex Platonis uerbis facillime licet colligere, quę ſunt iſta. Quare ſi ſecundum rectam uitæ inſtitutionem, & philoſophiæ ſtudia meliores cogitationis partes obtineant, beatam uitam, atque concordem præſentem uitam agunt, ſui ipſorũ domini, atq; modeſti, ea parte ſubiecta, cui animæ uitium ineſt: ea contra liberata, ad quam probitas pertinet. In huius autem uitę fine, recuperatis alis priſtinis euolãt, cum trium certaminũ uerè olimpicorum unum peruicerint, quo quidem nullũ præſtantius bonum, aut humana temperãtia, aut diuinus furor hominibus afferre poteſt. Ex his quidem uerbis poſt optimam hanc animi purificationẽ nihil aliud nos ad diuina dixit Plato perducere, quã philoſophiam: unde philoſophicum tantum ingeniũ aſcenſui huic erit idoneum, uel reliqua duo, ſi ad hoc ſe receperint imitandum. Nec uim horum uerborum ſubterfugiet ille, qui amatorium, & muſicum ingenium philoſophicum eſſe dicet: hoc quidẽ (ſi Plotini uerba conſiderentur) affirmari non poteſt. Nãq; ſi amatorium à corporea tantum pulchritudine mouetur, unde diuinam pulchritudinẽ uenantur in corpore: quomodo ergo ex Plotino eo in lib. cap. 2. ingenium iſtud à corporea pulchritudine ad animalem, ab hac ad intellectualem, à qua tandem ad ſummum bonum perueniet? Si tandem

ex Plotini ſententia ibidem cap. 3. philoſophicum tantum eſt à corpore ſolutum, & uigilat: reliqua uerò duo corpori ſunt admixta, & dormiunt: quo nam igitur pacto uiribus proprijs ad diuina ſe conferet amatorium? De muſico uerò arbitror eſſe dicendum Platonicè, non illud eſſe, quod muſica illa eſt præditum ſeptimo de Rep. à Platone recenſita. Nãq; ſi rerum naturalium ſpeculationem ad diuina non relatam, in minimis ponendam cenſuit ipſe quo nam modo muſicum ictum aeris tantum percipientem, philoſophum, & muſica illa præditum eſſe dicemus, quam Pythagoram imitatus Plato ſemper magni fecit? Hic enim cum de harmonicis numeris ſeptimo de Rep. Glauconem, & Socratem multa dixiſſe retuliſſet: hanc tandem Socratis concluſionem adducit in medium, inquiens. Adde & utilem ad boni ipſius, pulchriq; indaginem, quæ ſi aliter quæratur, fit prorſus inutilis. Cum ingenium muſicum ſtudeat demulcere, nec ex ſe progrediatur ulterius: hinc nec cum amatorio coniunctus ſibi parare poterit, nec muſicam illam philoſophicã eſſe ſcientiam exiſtimare debemus. Si tandem Platonis uerbis innixus, uictoriam in uno tantum certamine acquiſitam propterea nos illucuſq; prouehere dixerit quiſpiã, quòd ex ſeptimo de Rep. unũ trium certaminum peruicerimus: quare amatoria tantum uictoria finem aſſequemur optatum. Huic

quidem facere ſatis eſt facile: nam cum finis noſtri aſcenſus ab animæ pulchritudine ſit ad illam intelligibilem, in intellectu primo lucentem conſcendere, cuius tantum ductu ad ſummum bonum inſpiciendum deducimur: hinc reliquæ duę uictoriæ diſpoſitiones potius ſunt appellandæ: quę ſunt à corporea pulchritudine ad illam moralem, ab hoc autem ad intellectualem eiuſdem animæ ſe conferre. Vnum autem eſt certamen ſcilicet ultimum, cuius uictoria maximum, & præcipuum eſt animæ bonum.

Illud accedit quòd certaminum præcedentium uictoria illis non eſt tribuenda ingenijs, quę à corporea tantum pulchritudine, & uocum conſonantia excitantur, & in his tantum ſe oblectant, cum uiribus proprijs aſcendere nequeant. Platonice igitur philoſophatus eſt Marſilius in com. ſuper Phædrũ cap. 33. qui de amatorio ingenio uerba faciẽs hæc habuit uerba. Si quis autem non propter generoſitatem ſit propenſior ad amandum, ſed neque philoſophice ab initio, neque moraliter inſtitutus, poſtquam illaqueatus eſt amore, nonnunquam ad uenereũ coitum fortè delabitur: & ſi propter eiuſmodi lapſum integras alas recipere prohibetur, tamẽ propter mirificam uim amoris naturaliter attollentis, præparatur ad alas. Id quidem Socrates tetigit, ut ſublimitatẽ amoris exprimeret: qui etiã affectui cuidam deteriori permixtus, animũ inte-

rim quantum in ſe eſt, euolare non deſinat. Itaque ſi (quemadmodum probabile eſt) tempore procedente, tanquam generoſus libidinem quidem amputet, amoris autem ſublimitatem retinens, efficiat amicitiam: hac uita defunctus non pręcipitatur ad imum, ſed in aere, quantum ſat eſt, purgatur, donec ad ſummum philoſophetur. Et paucis interpoſitis ingenium quodlibet indignum cœlo iudicauit, quod ad habitum philoſophicum non peruenerit. Si autem amatorium ingenium, quod magni ſemper fecerunt Platonici, ad eleuationem ſolum eſt aptum: illud ergo muſicum, quod eſt inter omnia uiliſſimum, uiribus proprijs tanto minus ad diuina conſcendere poterit. Si quis uerò Chriſtophorum à calumnia ideò putet liberatum, quòd amatorium cæteris uirtutibus habitis conſurgere dixerit: hic Plotini uerba perpendat, qui amatorem pulchritudinem ſolum in corpore uoluit intueri, uti tamẽ ſe deceptum ratione perſuadet philoſophus. Quare cũ ingenium amatorium, aut muſicum cæterarũ uirtutum ducta conſcendunt, tunc ad philoſophicum habitum illa duo ſe cõtuliſſe neceſſariũ eſt cõfiteri. Ex his igitur cũ Plotino lib. de triplici aſcenſu, cap. 3. nobis elicere poſſumus ſolũ philoſophicũ ingeniũ à corpore eſſe ſolutũ: & uelut alatũ diſciplinarum munere, quæ ſeptimo de Rep. recenſentur à Platone, minimo negocio arduũ hoc iter aſcendendi abſoluere poſſe.

Vera Plotini explicatur ſententia.
Cap. XII.

PVLCHERRIMA *quidem, & difficilis eſt hæc Plotini de triplici aſcẽſu doctrina: quæ quò facilius apprehẽdatur, & clarius intelligatur, rẽ hãc altius repetendam exiſtimaui. Illud igitur primò ſe nobis conſiderandum occurrit, ſenſum habere hominẽ, & rationem. Ratio quidem rerum omnium rationes per ſe ipſam apprehendit incorporeas: ſenſus autem per hæc quinq; corporis inſtrumẽta imagines, & qualitates attingit. Hinc factum eſt igitur ut quantum ad primum attinet inſtitutum ſex animi uires cognitioni noſtræ deſeruiẽtes Platonici eſſe uoluerint ſcilicet rationem, uiſum, auditũ, olfactum, guſtum, & tactum: de quibus in conuiuio ſuper orationem quintam cap. 2. habetur oratio. Horum autem omnium munus, operandi modum, & actionis Scopum cum examine diligenti perpendiſſent Platonici, ſex iſtas animi uires duas in partes ſunt ſecati, tres ad corpus, & materiam potius pertinent, quæ ſunt tactus, guſtus, & odoratus: reliqua uerò ſcilicet ratio, uiſus, & auditus ad ſpiritum attinere omnibus conſtat. Cum tres igitur primæ ad corpus declinent, quod mouent, uixq; ad animam*

perueniant, cui minime placēt, quia ſimiles ſibi ſint minime: hinc non ſolum eas, ſed & quæ ab illis per cipiuntur corpori magis, quàm animo congruere di xerunt Platonici: nam quæ tres iſtos ſenſus mouēt non ſui gratia, ſed alterius ſcilicet corporis cauſa no ſter animus quærit. Sed quoniam tres aliæ ſuperiores animi uires à materia ſunt remotæ, res illas percipientes, quæ parum corpus, animam autē uehementiſſime mouent: nam animi cibus eſt ueritas ratione percepta, ad quam inueſtigandam oculi, ad addiſcendam aures maxime conferunt: hinc ea tan tum, quæ ad rationem, uiſum, & auditum pertinent gratia ſuiipſius animum affectare, & ad ſciē tias, figuras, & uoces amorem pertinere, & gratiam, quæ in uirtute, figura, & uoce reperitur, pul chritudinem non iniuria dixerunt Platonici. **Ex** *hac Platonica doctrina plurima inſtituto præſenti conferentia nobis depromere poſſumus, quorū etiā munere peccata iam reprobate opinionis cognoſcū tur. Primum enim eſt, triplex ideo tātum ingeniū eſſe, ad diuinorum reminiſcentiam aptum: quoniā hæc tria ſunt tantum, quę à ſenſibili mundo recedunt, ad intelligibilem accedentia. Illud tamen ani maduertant ipſius ſectatores, hoc ſcilicet triplex in geniorum diſcrimen originem à uita priori duxiſſe: nam ad animarum attentionem in patria, hic earū in corpore ſequitur immerſio. Quæ igitur ibi pau-*

tiora, uel tempore breuiori uiderunt, ad ſenſibilia paulatim labentes, intimiores ſibi corporis occupãt ſedes: ſed quæ plura, & tempore longiori ſunt intuitæ, extra corpus ſe conſeruãt incolumes. Aliud etiam contra Chriſtophorum licet colligere: nam ſi ad uirtutẽ, figuras, & uoces amor refertur: ſi etiã in his tribus gratia quædam reperitur, & pulchritudo uiget: non igitur amatorium, & ingeniũ muſicum coincident, nec etiam hæc tria inuicem coire, eſt neceſſarium confiteri. Ex dictis quoq; ordinem inter hæc tria ingenia colligamus: quandoquidem ſi ab ignobili, & omnium uiliſſimo ſpeculationẽ iſtã aggrediamur, primo loco muſicum, ſecundo amatorium, tertio philoſophicum conſtituendum eſſe dicemus. Nãq; ſi uiſu uiget amatorium, muſicum autem auditu: & uiſus ſpiritualiori quodam modo in proprias exit functiones, & plures nos facit cognoſcere differentias: à corpore igitur ingeniũ iſtud magis erit ſolutum, cui muſicum adhærebit intimius. Illud accedit etiam, nã licet hęc ingenia duo dormiant: amatorium tamen ſine alterius ope expergiſcitur, quo tamen muſicum indiget. Ab his autẽ duobus longè diſtat philoſophicũ, quippè quod uigilet, ſolutum ſit, uniuerſaliter ſeparata concipiens, alatum, & ex ſui natura promptum, ducis tãtum opera indigens, qui ei uolenti certiores uias oſtendat. Sed inquiebat Chriſtophorus, cũ ingenia

iſta ſint diſtincta, ad diuinorum reminiſcentiã apta & librum illum de triplici aſcenſu Plotinus inſcribat: ab illis igitur duobus propria non eſt ſubtrahenda fœlicitas, quare non ipſa tantum philoſophicum potietur. Dubium iſtud facile admodum funditus euerti poteſt: quandoquidem tantum abeſt ut ab amatorio, muſicoq; ingenio fœlicitatem ſibi accommodatam, ſecludant Platonici, ut licet uiribus proprijs errorem, in quem propter corporea ſunt lapſa, nõ deprehendant: ipſa tamen alterius ope minimo negocio hac una ratione reſipiſcere fatentur, quòd ad ſenſibilia quoq; ſe manifeſtè propagarit pulchritudo diuina. Cum etiam ingenium tantum philoſophicum aſcendere Platonici dicant, hoc quidem ſic uolunt audiendum, quòd non ab extrinſeca re corporea, ſicut amatorium, & muſicum, moueatur: nec ad ſuperioris ingenij habitum confugiat. Et ſi ingenia illa duo ut aſcendant, philoſophari, & ad philoſophicum habitum peruenire tenentur: ingenium tamen philoſophicum non euadunt: quare ſi diuerſo influxu trahuntur ad ſupera, diuerſus etiã ſibi debetur fœlicitatis gradus. Diuerſo quidem calle ingenia iſta tria redeunt ad diuina, quod cum ſupra aliqua ex parte ſit expoſitum, & in lib. de primo enunciato ſummi boni clariſſimè ſit declaratũ: hinc ſpeculatione iſta relicta, ad duo me conferam enucleanda, quę colliguntur ex dictis. Primum qui

dem eſt,quòd ſi diuerſo calle tria hęc ingenia ſe cõferunt ſurſum;diuerſos quoq; habẽt fœlicitatis gradus. Hanc ueritatem aureis quibuſdam uerbis in Phædro nobis explicauit Plato,cum diceret.Poſtquam animæ primæ uitæ finem fuerint conſecutæ, iudicantur:iudicatæ autem aliæ ſub terra in iudicij locum euntes,meritas illic pœnas ſuſtinent:aliæ in cœli quendam locum per iudicium eleuatę, ita degunt, ut dignum eſt, uita quam in hominis figura uixerunt.Hinc colligas cum Platonicis,quòd ſi diuerſa hæc ingenia iam ſeparata diuerſum in cœlo locum ſortiuntur;diuerſum quoq; finem aſſequuntur.Philoſophico quidem intimius adhærebit Deus fortiusq; unietur;ab hac fœlicitate deficiet amatorium;in ultima tandem ſede collocabitur muſicũ. Alterum ex hac dilucidatione defluẽs illud eſt profectò,quòd cum unius amoris cauſa, quo diuinam pulchritudinem proſequimur,nos Deo coniungi fatentur Platonici:de illa in uirtute,figura, & uoce reperta locuntur gratia,pulchritudine, & amore, in quem incidunt ingenia illa tria. Quare autem Platonici ita ſenſerint,pręter dicta, hanc ipſi cauſam aſſignant:nam bonum appetunt omnia, quod intellectualis tantum natura conſequitur. Cũ autẽ pulchritudo ſit facies blanda boni, ſicut turpitudo facies tetra mali:hinc mirum uideatur nemini, ſi tria hęc ingenia primò feruntur in pulchritudinẽ,

Vnde libro de pulchritudine cap.2. Plotinus dixerat animum uehementer reſpuere turpe, & aſciſcere pulchri.

Quæ de diuinis ex habitu philoſophico cognitio confluat, declaratur. Cap. XIII.

SI DVPLICEM *animæ à corpore ſeiunctionem poſuerunt Platonici, quarum quælibet nos ad intelligibilia euehat: duplicẽ quoque de rebus, de diuinis præſertim, quę per has ſolutiones petimus, ut nanciſcamur, eſt neceſſarium, partibilem ſcilicet unam, ratione ſenſibus complicata, à nobis acquiſitam: impartibilem alteram, mente partam, ad intellectum omniformem iam conuerſa. De hac noſtra duplici cognitione fecerat uerba Triſmegiſtus: nam tunc nobis primam aperiebat, cum per uiſibilia hæc, & creata Dei potentiam, & bonitatem nos monebat deprehendere. Alteram autem à Pimandri principio his uerbis expreſſerat. Cum de rerum natura cogitarem, ac mentis aciem ad ſuperna erigerem, ſopitis iam corporeis ſenſibus, quemadmodũ accidere ſolet ijs, qui ob ſaturitatem, uel defatigationem ſomno grauati ſunt; ſubito mihi uiſus ſum cernere quendam immenſa magnitudinę corporis, qui me*

nomine uocans, hunc in modum uocaret. Et paucis interiectis. Cum hęc dixiſſet, mutauit formã, & ſubito cuncta reuelauit. De prima in præſenti habebitur ſermo, quippe ſecunda ſit illa, quam huius primæ beneficio aſſequamur. Hanc quidem exiguam eſſe, & obſcuram dicunt Platonici, cum non diuina, ſed res alias tunc prius contemplemur, in quibus bonitas diuina relucet. Unde maximus ille Platonicus Tyrius ſermone primo, quid hac de re ipſe ſentiret, cum Ariſtotele nobis aperuit dicens. Qualem ſimilitudinem uidere licet in noctua, cuius cũ interdiu in clariſſima Solis luce colliget aſpectus, noctu tamen igniculi aculam aucupatur. Et paucis interpoſitis hæc ipſe habuit uerba. Nos uerò nequaquam audebimus ratiocinationem noſtram in ſublimem aliquam animi ſpeculam attollentes, eo propoſito indagare Deum, ut quem locum incolat, quamuè habeat naturam inueniamus: ſed contenti erimus ſi quid in eum liceat allucinanter inſpicere. Huius ueritatis cauſam ſi quæras, Plotinum conſule, qui libro de bono, uel uno cap. 4. pulcherrimã quandam aſſignat, illam exponente Marſilio. Cum enim principium uniuerſi ſit penitus incorporeum, immobile, unum: hinc ipſum imaginatione non attingimus, corporalia machinante: nec etiam mobili ratione, quæ nonnihil mutabile ſemper cogitat: non tandem intelligentia ſuapte natura multiplici

uarium

uarium ſemper aliquid meditante. Mirum inquam uideatur nemini, quòd Plotinus per intelligentiã Deum attingi negauerit: nã ſi Deus, licet ſit ubiq;, in ſummo tamen ſolum intelligentiæ lucet, nonne igitur ad hanc lucem inſpiciendã formæ omnes non ſolum imaginabiles, ſed etiam intelligibiles, tanquã nubes obſtabunt? Platonicè igitur, & amicè libro de bono, uel uno cap. 7. his uerbis nos monebat Plotinus. Si quemadmodum materiam tradunt, eſſe omnium qualitatum uacuam oportere, ſi modo ſit figuras omnium ſuſceptura: ſic, & multo magis animam eſſe oportet informẽ, omni carere debet obſtaculo, quod forſitan impedire poſſit, ne ab ipſa prima omnium natura illuſtretur, & impleatur ad uotum. Quare operepretium eſt animum ab omnibus externis ſegregatum, ad intima penitus ſe conuertere, neque ad externum aliquid reuocari: ſed iam omnia neſcientem, & antea quidem affectione nunc uerò etiam ſpeciebus; neſcientem quoq; ſe ipſum, contemplationi illius incumbere, eiq; familiariter inherere. Nulla igitur eſt animi noſtri facultas, qua Deum poſſimus attingere, atq; comprehendere; licet tunc eum olfacere dicamur, & augurari, cum ipſum ut unum apprehendimus, atq; bonũ. De primo quidem Deum cognoſcendi methodo, ſi libro Theologiæ primo, & in com. Marſilius longã habuit orationem; ego quoq; præter ea, quæ in ani

maſticis ſpeculationibus dixi, libro de primo enunciato ſummi boni primo de hac eadem re. ex Platonicorum ſentētia multa diſſerui. Hęc igitur in pręſenti ſufficiant.

Quid ſic affectis confluat ex aſcenſu, Platonicè declaratur. Cap. XIIII.

CVM aſcendendo huc uſq; peruenerit homo, ut purificatione animi præcedente nō ad mala, ſed ad diuinam pulchritudinem in ſe ipſo lucentem iam ſit perductus inſpiciendam: tunc quoniam hæc pulchritudo diuini uultus eſt ſplendor, ardentiſſimum ad diuinum bonum acquirendum in nobis accenditur deſiderium, cuius beneficio ſtatim ſecundo ab inferioribus ſoluitur anima, à fallaci ſcilicet ratione, ac intelligentia multiplici in mentem redacta. Soluitur quidem anima, cum ex Platonicorum ſententia non ſui ſit amans, ſed ſit in rem amatam tota transformata. Solutionem iſtam ſecundam diuinis quibuſdā uerbis libro de bono, uel uno cap. 7. Plotinus expreſſerat, cum animam tunc diuinæ illuminationi accommodatum dixerit eſſe ſubiectum: quando nō ſolum cętera, ſed ſe ipſam quoq; ignorauerit. Huic autem animæ hunc in modum diſpoſitæ confluunt commo-

da,& has nanciſcitur perfectiones, & dignitates. Diuino quidem formatur intellectu, rerum omniũ ydeas intuetur,ipſa non eſt amplius altera,ad ſummum bonum perducta eſt inſpiciendum , fœlicitateq́; tandem donatur ſibi accommodata. Animam quidem ſic affectam illius ſummi,apicisq́; perfectiſſimi ratione,cum intellectu primo in unum conflari non ſolum libro de bono,uel uno cap.7. expreſſit Plotinus:ſed libro etiam quid animal, & quid homo cap.13.intellectum cõmunem, ad quem aſcendimus,aliquid eſſe noſtrum tunc putauit,cum poſt aſcenſum ad ipſum ille in nos agat,per ipſumq́; intelligat,anima. Hinc Plotini uerba Marſilius intuent,intellectum proprium, & communẽ aliquid noſtrum eſſe declarat. Proprius quidem, quia eſt animæ apex:ille uerò communis, quoniam intellectus noſter diuino tanquam formæ uelut quædam materia ſubditur,per ipſum intelligit , atq́; ipſum, per quam ſanè communem omnibus formam intellectus ſinguli & ſi non unus , ſunt tamen aliquid unum. Vnionem iſtam ad diuinorum inſpectionem neceſſariam eſſe maximus ille Mercurius ſignificauit,cum à Pimandri principio dicebat . Tu me mente complectere, & ego in cunctis te erudiam. Hanc autem ex intellectu communi, & mente noſtra unionem arctiſſimam ſuper librũ Plotini. An augeatur tempore beatitudo,cap.3 .hac pulcherri-

ma ratione declarauit Marſilius. Nãq; ſi de quo minus uidetur ineſſe, & ineſt, igitur & de quo magis: ſed minus uidetur (inquiebat ibidē Marſilius) quòd ignis, & ferrum; ignis, & aer: corpus, & anima conſlentur in unum, quod tamen experimur cõtingere: mirum igitur nemini uideri debet ſi ex animæ noſtræ apice, & intellectu primo unũ affirmetur conflari: quod quidem ſupra, & in libro de primo enunciato ſummi boni fuſius declaraui. Quoniam autem nil aliud eſt hac mente formari, quàm ipſam intelligere, quemadmodum idem eſt uiſu formari, quòd uidere: hinc animam iam conuerſam intelligere diuina poſſe, quinetiam illa intueri nõ iniuria quidem ſibi delegerunt Platonici. Vnde ſeptimo de Rep. quem à tergo Solem poſuerat nobis exiſtentibus in antro, quemuè in alijs deprehendebamus, nunc philoſophos factos eum apertis oculis, in die, & in ſede ſibi propria nos intueri uoluit Plato. Et libro de anima & Dæmone numinum eſſentias purgatas dixit Proclus apprehendere. Hinc tandem lib. de bono, uel uno cap. 9. entis principiũ, uitæ, mẽtisq; fontem, cauſam boni, radicem animæ tunc animam noſtram Plotinus dixit inſpicere, ſi ad intellectũ communem, quem intellectum primũ primam uitam, & primam eſſentiam nuncupauit Plotinus; & ſummi boni unigenitum filium appellauit Plato, aſcendimus, ipſeq; nobis, tanquam for

ma coniungitur. Et ſi nihil eſt aliud hac mente formari, quàm ipſam intelligere: hinc ſequitur profectò iſtud utilitatis ex aſcenſu nobis confluere, quòd non amplius rerum imagines, ſed earum eſſentias, atq; ydeas contemplemur. Hanc ueritatem nõ eſſe captu difficilem propterea crediderunt Platonici, quòd intellectus hic primus mundus intelligibilis dicatur, omnibus ydeis refertus: quod quidem cũ lib. de primo enunciato ſummi boni primo declarauerim ad ſequentia igitur me conferam enucleanda. Eramus enim ante aſcenſum alteri, quia extrinſeci populi multitudini eramus admixti, alteri, quoniã interioris populi animaduertebamus multitudinẽ; alteri tandem, quia ratio, & intellectus ut duo ſe habebant in nobis. Nunc autem & exterioris populi, & interioris fugimus multitudinẽ nos diſtrahentem, ratio formata eſt intellectu proprio, hic autem illo communi: quo quidem (ut lib. de beatitudine cap. 49. inquit Plotinus) uiui, & ita ſumus diſpoſiti, ut eum nobis præſidentem intueamur. Vix autem hunc intellectum primum aſſecutus eſt iſte noſter, cum non pulchritudinẽ amplius ſpeculetur, ſed eſt iam in pulchro, quinetiam euaſit ipſummet pulchrum. Nunc tandem (ut lib. de intelligibili pulchritudine dicit Plotinus) ad priſtinam animum ſe ſanitatem recepit, nullo quidem morbo laborans, ideò, quoniam nihil admittit extrinſecum, ſed eſt

omne ſibi domeſticum. Arduo quoque itinere iſto peracto, & intellectus communis beneficio ad ſummum bonum inſpiciendum animam noſtrã eſſe deductam, dixerunt Platonici. Hãc quidem ueritatẽ ſuper librum de pulchritudine ſignificauit Marſilius, pulchritudinẽ nominans faciem blandã ſummi boni. Verum iſtud quidẽ hinc licet conijcere, quòd intellectus hic primus expreſſum ſit boni uerbum, prima, & uera patris imago. Addunt Platonici potiſſimam, & apud ipſos demonſtratiuã rationẽ: nam ſi finis, & efficiens conuertuntur, & ſummũ bonum pręcipuus eſt ęternorum parens, & autor: hinc igitur neceſſario ſequitur intellectualẽ animã, in qua maximè relucet bonitas illa diuina, formæ, ydearumq; ydeæ illi uniuerſaliſſimæ accommodatã eſſe materiam. Libro etiam de bono, uel uno cap. ij. ex aureis Plotini uerbis huius ueritatis præcipuã rationem nobis depromere poſſumus: nam ſi quæ ſunt, ad primam eſſentiam, quæ uiuunt ad primam uitam, & quæ intelligunt ad primum intellectum neceſſario debent referri: hinc unitates quęlibet ad unitatem ſummam tandẽ peruenient, quippè nullibi unio reperiatur, niſi unionis ipſius uirtute. Cũ autem una ſit anima, & ad ipſius unitatem ſe iam receperit, quæ in ipſa natura, et eſſentia animæ eſt: reliquum eſt ut unius Veneris beneficio in unitatẽ illam ſe reuocet, quam ſuper eſſentiã conſtituerunt

Platonici. Hinc autem licet deprehendere quo nã modo ex mente diuina in unitatem trãſeat anima: quandoquidem ſi per amorem, & per diuinæ pulchritudinis deſiderium in ſummam unitatẽ anima noſtra conſurgit: cum primus ille intellectus ſit pulchritudo per modum formæ, à qua in nos ardentiſſimus amor deriuat: hinc ſequitur profectò, ut uix mente diuina ſimus formati, cum alæ, huius præſertim munere, ad pulchritudinem illam euehamur acquirendam, quam talem per modum cauſæ nuncuparunt Platonici. Sed ex auguſtiſſimis Plotini uerbis eo in libro habitis, duo ſcitu quidem digniſſima nobis deligimus: quorum eſt unum ex hoc trãſitu illud utilitatis, atq; dignitatis nobis confluere, quòd beemur: uel ſaltem (corporis tamen culpa) beatitudinem ipſam deguſtemus. Beamur quidem, quoniam Deum intelligimus, atque tangimus quæ duo ex uerbis Triſmegiſti in Pimandro cap. 5. habitis depromi poſſunt: ubi purgatos non ſolum intelligere Deum aſſeruit, ſed eam etiam manibus quodã modo attrectare. Verum ſicut aſcenſui noſtro magis confert amoris ala, quàm intelligentiæ: ita ex fruitione potius, quàm ex intelligentia beatitudinẽ animæ noſtræ confluere ibidem Plotinus affirmauerat. Hinc doctiſſimus ille Marſilius Plotini uerba perpendens diligentiſſimæ, fruitionem præ intelligentia tanto penetratiorem putauit in medullas,

quanto intelligentia ſolet obiectū fortius penetrare quàm ſenſus. Si autem res ita ſe habet non Deum quidem tūc extrinſecus tangit anima, ſed illabitur penitus, afficitur diuinitus: quinetiam ipſam effeci Deum oſtendebat Marſilius, ſicut qui alimento utitur, tandem efficitur alimētum, uel fortè uiciſſim. Intelligentia autem, quæ amorem mēſurat, illa eſt profectò, quàm alteri communicare non poſſumus: quandoquidem (ut lib. de bono, uel uno cap. 10. dicebat Plotinns ſi qui uidet ſe ipſum, non magis uidet, quàm fiat ipſum uiſum: ſic & animus iā Deus factus, ſuiq; centro cum illo diuino coniunctio, non ut alterum uidet Deum, quare nec ipſum ut alterum poterit pronunciare.

Verum cum corporis culpa interrumpitur intuitus ille, quam de diuinis ſecum defert cognitionem, illam non omnibus communicandam Plato prohibuit, Pythagoram imitatus. Quorum quidē præceptum tunc obſeruandum Plotinus cenſuit, cū lib. de bono, uel uno cap. ij. miſterium iſtud illis tātū aperiendum uoluit, qui eſſent initiati, & expiati, quibus hoc idem uidere contigerit. Hanc tamen de glorioſo Deo cognitionem utilitatem maximam, quinetiam animæ noſtrę ſalutem afferre in Pimandro tex. 7. his uerbis Triſmegiſtus expreſſerat. Quò ruitis mortales ebrij? qui merum ignorantiæ combibiſtis, cum id ferre nequeatis, euomite. Reſpi-

rate eam, reſpirate, & ad fontem uitæ recurrite, il lumq́;, qui uos introducet in aditum ueritatis, cape ſcite. Ibi fulgidum lumen nullis immixtum tenebris, ibi nullus ebrietate delirat: ſed omnes ſobrij ui gilant, atq́; mentis oculis eum, qui uideri uult, auctius intuentur. Is nec auribus percipitur, nec cernitur oculis, neque ſermone profertur. Sola mens cum perſpicit, ſola mens prædicat. Cum igitur ex hoc aſcenſu tot nobis dignitates, & perfectiones confluant; cum huius beneficio tranſeamus in Deũ quinetiam fœlicitatem ipſam aſſequamur: hinc iſtũ aſcenſum, eiusq́; finem ob oculos ſemper habere, in ipſum abſoluendum incumbere debere, monebat Plotinus. Nãq́; ſi cum quibuſdam nil aliud dixeris eſſe fœlicitatem, quàm tranquillè uiuere; aſcende, quoniam in bono requieſcit anima. Si eam finieris eſſe benè ſe habere; iter hoc aſcendendi ne graueris arripere, cum in bono tãtũ à malis ſit animus liber. Si eam putaueris eſſe in propriam functionem exire; animum ſurſum euolare permittas, quoniam ibi Deo prægnãs parit. Si eam in naturalis cuiuſq; finis aſſecutione dicas conſiſtere; hinc ad diuina ſe conferas, nam bonum eſt animæ noſtræ principium, et finis. Si eam uolueris uitam eſſe, intellectualem; ab iſtis ſenſibilibus feſtina receſſum, nam in bono uerè intelligit anima. Si eam bene eſſe ſenſeris ſummum bonum ut petas, eſt neceſſarium; in quo tan-

tum abeſt ut non ſit bonum noſtrum, ut illinc abeſſe nil quidem ſit aliud, quàm eſſe minus. Si eam tandem bene uiuere fueris arbitratus; ad bonum uſque conſcende, in quo ſolo uiuere re uera contingit: nam ſine ipſo uiuere, ueſtigium uitæ eſt, ſupernam imitans uitam. Hæc ſit de aſcenſu mentis in Deum Platonicorum ſententia, breuiſſima quidem oratione perſtricta.

STEPHANI CONVENTII BONONIENSIS

DE ASCENSV MENTIS IN DEVM

Liber Sextus.

In quo de aſcendendi methodo Peripatetica enucleatur ſententia.

De ſeparatione animę à corpore Peripatetica explicatur ſententia. Cap. I.

Q*VAE ſuperius lib.4. cap.1. aſcenſum finiens in medium adduxi, huc tandem ſpectabant omnia ut (quemadmodum lib. Theologię nono ca. 4. Ariſtoteles ſenſit) nil aliud eſſet aſcenſus, quàm animę operatio, qua ipſa exiſtens hic, ſpeculetur eſſentias orbis ſuperni. Sed qm̃ mundus iſte ſenſibilis, iſtud præſertim corpus, obſcuriſſimus quidẽ animæ carcer, ab illo ſupercæleſti atq; ſupremo maximè diſtat; hinc nemini mirum uideri debet ſi &*

Ariſtoteles ueritatem iſtam deprehendens, cũ Platonicis aſcenſum iſtum, & ab hoc corpore ſolutionem gradibus quibuſdam abſolui ſit arbitratus. Cuius quidem celeberrimi philoſophi ſententiã, hac de re habitam, qui examine diligenti perpenderit; eum à præceptore Platone deprehendet non differre, quippe qui duplicem illam animę ab hoc corpore ſeiunctionem, & ipſe cognouerit. Si enim à corpore ſeiunctionem propterea neceſſariam eſſe dixerunt Platonici, quòd non niſi purgati animi diuina philoſophiæ pręcepta percipiant: ac ſi cũ ſapiẽte dixerint in improbam animã ſapientiam nõ introire. Huius quoq; ſeparationis neceſſitatem, atq; utilitatem aureis quibuſdã uerbis. 10. Ethi. cap. ij. aperiebat inquiens. Sermo autem, et doctrina nunquã in omnibus uires habent: ſed oportet ut ante cultus ſit animus auditoris moribus ad bene agendum, tã quam ager, qui ſemina ſit nutriturus. Alterã quoque mortis meditationem ex eiuſdẽ uerbis cap. 10. habitis, tunc nobis ſignificaſſe crediderim, cum non quamlibet contemplatiuam animæ operationem, ſed quandam humanam appellauit fœlicitatem: illam quidem, quę Dei operationi eſt cognatiſſima. Illam inquam, quã libro deſt. diſp. tertia, in ſol. 28. dubij ſpirationem diuinam nuncupauit Auerroes. Illam tãdem ab Ariſtotele lib. miſticæ philoſophiæ quarto, cap. 6. expoſitam, cum diuina nobis innote-

ſcere diceret nō quatenus humanitus acquiſita,ſed ut diuinitus reuelata. Hanc ueritatem lib. Theologiæ quarto,cap. 4. lib. 7. cap. 9. pulchrè quoque aperiebat Ariſtoteles,tunc nos ad diuina dicēs eleuari,cum concupiſcentijs amplius non grauamur quo ad ſeparationem primam:neq; ſubditi ſumus imaginationi,alterā explicans:nam humana hęc intellectio ex eiuſdē ſententia uel eſt phantaſia,uel non ſine phantaſia. Eandem ſententiam libro miſticæ philoſophię. 10. cap. 13. clarioribus uerbis ipſe enucleauit,totumq́; iter aſcendendi patefecit, ad intelligendum orbem ſupernum,hæc arbitratus eſſe neceſſaria ſcilicet ſenſuum compoſitionem, animi purgationem referens. Aſcendentem ſecundo loco intellectu præualere putauit debere, cum Platonicis diſciplinarum neceſſitatem ſignificans. Aſſiduam tandem mentis ſpeculationem eſſe neceſſariam uoluit,illam ſcilicet quæ ex intellectus agentis coniunctione nobis accidit. Quòd autem per hanc mentis ſpeculationem illa ſit audienda non humanitus acquiſita;ſed illa,quam libro de miſterijs afflationem diuinam Iamblicus appellauit, ex Ariſtotelis uerbis poteſt quàm facillimè deduci: quippe qui per hanc aſſiduam mentis ſpeculationem diuina ſciri, quibus nihil admiſcetur accidentarij, dixerit, non quidē per concluſiones ex principijs deductas,neq; per medium aliquod,non tandem ſpeculatione illa

laborioſa cum cogitatione, ſimulachriq; impreſſione habita: ſed abſolute ſine errore, fallacia, cogitatione, & ſimulachri receptione: quinetiam (ut lib. de anima tertio, cap. 20. dicebat Themiſtius) tunc ad res noſcendas non utimur diſcurſu, ſed comprehenſione quadam illas apprehendimus.

Non ſolum igitur præceptoris ſui Platonis præcepta hac in parte ſecutus eſt Ariſtoteles: ſed ueritatem etiam ipſum attigiſſe conſtat. Nam ſi Moyſis uerba illa more Pythagorico cum celleberrimo illo Philone uolimus exponere, quibus iter hoc aſcẽdendi fuit premonſtratum Abrahamo: de terra noſtra, de cognitione, & de domo patris tunc egreſſi erimus: cum à corpore, à ſenſibus, & à ratione animũ ſeiunxerimus adeò, ut ab horum nemine mens noſtra detenta, ſuper omnia poſſit emergere. Huius quoq; aſcenſus methodum inter Cabaliſtas non infimus ille Abraham, libro mirabili Letzira his uerbis oſtendit. Intellige in ſapientia, & ſape in intellectu, inueſtiga in eis, & proba ex eis, & ſtatue rem ſuper puritates ſuas, & repone creatorem in thronum ſuum. Quid enim eſt res ſuper puritates ſuas ſtatuere, niſi corpus, & animam ſupergreſſos, in hominis propriam functionem exire, niſi hæc inferiora intellectu ſapere? Quãdo autem creatorem reponere poterimus in thronum ſuum, niſi cum in ſapientia intellexerimus, & intellectiua potentia de-

relicta mentis obtemperabimus imperio? Cum ſapientiſſimo igitur Rabi Ioſepho Caſtilianẽſi in horto nucis lib.2.Platonicos,atq; peripateticos philoſophatos fuiſſe poſſumus affirmare.Hic enim antequam ingenium humanum ad formarum ſeparatarum,ac ſimplicium mundi ſuperioris, & intelligibilis ſubſtantiarum contemplationem ita manſueſcat,ut in ipſa penè Dei penetralia irrepat: prudentium prius uirorum ethicis, & bonis moribus nos eruditos eſſe debere uoluit, ut turpia uitemus, ſequamur honeſta.Vnde inquiebat ſapiens Eccleſiaſtes cuſtodi pedem tuum,cum iueris ad domũ Dei. Poſt mores deinde ita compoſitos,& animum iam purgatum ſcientiarum (quas iſti contemplatiuas appellant) opus nobis eſſe opera putauit.

Duplex hæc à corpore animæ ſeparatio, examine diligentiori perpenditur. Cap. II.

EX Ariſtotelis uerbis in cap. præcedenti recenſitis, illud nobis depromere licuit,concupiſcibili ſcilicet equo habenas eſſe imponendas & ſcientiam humanitus acquiſitam,beneficio cogitatiuæ,non tanquam noſtræ mẽtis Scopum,ſed uelut diſpoſitionem tantum exiſtimandam.A concupiſcentijs quidem liberandus eſt

animus: nam (ut lib. Ethi. 10. cap. ij. dixit Ariſtoteles) ſecundum animi perturbationem uiuit, nec audiet monentis ſuaſiones, nec intelliget. Hinc Rabi Moyſes Aegiptius lib. perplexorum primo, cap. 5. cum Ariſtotelis mentem attigiſſet: indulgendo concupiſcentijs ſpeculationum deſideria corrumpi cũ cæteris Cabaliſtis affirmauit. Ab errore quoq; imaginatiuæ propterea cauendum eſſe putauit Ariſtoteles: quòd (ut etiam ſermone primo Platonicus ille Tyrius uoluit) ſi huius tantum ductu uteretur intellectus, plebeius iam effectus plebis moribus ita aſſueſceret, ut popularibus ſenſuum uocibus, loqueretur, nihilq; aliud eſſe arbitraretur, niſi quod uideri, audiri, olfieri, guſtari, ac tangi queat. Qui inquã imaginatiua duce philoſophantur, hi quidem ſunt, qui animæ tantum functiones animaduertentes cũ in corpore, uel corpus agit animam: propriã ipſius operationem cognoſcere nequeunt: unde animam mortalem materialem aſſeruerunt. Cum igitur periculum iſtud maximum imaginatiuæ fidentibus imminere deprehendiſſet Ariſtoteles: eos libro miſticæ philoſophiæ ad monitos uoluit, ut hac laborioſa receptione dimiſſa, mentis ſe dedant obſequio. Ac ſi cum Platonico Tyrio ſermone primo ſentiret, nos ſicut auri foſſores corporis culpa, quod lib. perplexorum primo cap. 10. ante nos parietẽ magnum exiſtimauit Aegiptius ille Moyſes, aurum, & in-

& intelligibilia uera dignoſcere non ualentes, in ſuperiorem, peritioremq́; artificem, in mentem ſcilicet munus iſtud reijcere debere. Hanc ueritatem ſapientiſſimus ille Rabi Moyſes ex ſacris literis ſibi deprompſit: nam nulla quidem ratione alia ſpeciem domini uidere potuit eximius prophetarum Moyſes, niſi quòd propriam imbecillitatem cognoſcens, faciem ſuam abſconderit. Sed cum filij iſrael temeritate ducti, nullaq; pręparatione diſpoſiti Deum uidere feſtinauerint: pœnas ſuæ temeritatis dederunt, quippe qui combuſti ſint in Catera, Nabad, et Zabin. Poſteris igitur dicebãtur ſacerdotes, qui appropinquant domino, ſanctificandos eſſe, ne percutiat eſſe dominus. Huius tandem duplicis à corpore ſeparationis ex Auguſtini ſententia lib. de Trinitate cauſa eſt aſſignanda, à Peripatetica diſciplina nequaquam aliena. Cum enim ad actum cuiuſlibet cognoſcentis potentiæ requiratur intẽtio, quæ ad multa ferri non poteſt, niſi hæc adinuicé ita ſint ordinata, ut quaſi unum accipiantur: hinc ſequitur profectò (quod in omnibus animæ potentijs conſpicimus apertiſſime) cum potentia una uehementia quadam in actum prodit, uel alteram eneruatis uiribus erumpere, uel omnino abſtrahi ab eodé. Cum aũt diuina, Deus pręſertim glorioſus ſit omniũ intelligibile uehementiſſimũ: intellectus humanus ad eum inſpiciendũ non eleuabitur, ni prius totis uiri-

bus in eius uiſionem incumbat: ni prius à corporeis ſenſibus abſtrahatur, qui hanc uehementè intellectus intentionē impediunt, ipſiq; aduerſantur. Concupiſcibilis enim intenſio eſt nobis impedimento ne in propriā functionē exeamus: illa uerò imaginatiuæ in cauſa eſt, quòd anima plebis moribus aſſueſcat. Hanc ueritatē diuinè admodū in Pimandro, cap.4. explicauerat Triſmegiſtus, inquiens. Niſi ò fili tuum corpus oderis, te ipſum amare nō poteris: quāprimū enim non te, ſed ipſum dilexeris, mentē protinus conſequeris: hanc deniq; nactus ſcientiam e ueſtigio nanciſceris. Huius rei cauſam his uerbis aſſignat. Impoſſibile eſt ò fili utriſq; ſimul intēdere mortalibus, atq; diuinis: nam cū duo tantū in ordine rerū inueniantur, corporeū, & incorporeū; & illud quidē mortale, hoc diuinum dicatur: electione unius amittimus alterū; quotieſq; unius cura remittitur, alterius actus intenditur. Optime igitur lib. de miſterijs Iamblicus concludebat, tunc nos ſcilicet à Deo occupari poſſe, cū quæcunq; ſunt in nobis, ſeruient tota numini, cedentq; ſoli dominanti actioni diuinæ. Hæc tandē omnia lib. de anima tertio par. 19. de intellectus noſtri coniunctione cū illo pręſtantiſſimo ſermonē habens, ſignificauit Simplicius, cū diceret. Licet enim & à præſtantiori illo intellectu id huic largiatur: attamē haud ita, ut is ſit: nā cū eo iam cohęſit, atq; in idē cū illo redactus eſt

iuxta ſupremã ſuijpſius ſubſtantiã:ita ut & præſtãtiſſime cũ perficiẽti iungat, atq; dũ ipſum perficiẽs fit, ſufficiẽs uel ad ſe ipſum perficiendũ exiſtat. Vtrãq; quoq; animæ ſeparationẽ à corpore ibidẽ aperuit, cũ ad inſpiciẽda diuina in ſupremã ſuijpſius ſubſtantiã cõuerſionis opus eſſe opera dixerit.

Quantum ad diſciplinas attinet, primũ inter Platonicos, & peripateticos aperitur diſcrimen. Cap. III.

POST morum compoſitionẽ, ad diſciplinas illas, mathematicales ſcilicet & poſtnaturales cõfugiebant Platonici, naturalẽ facultatem nihili, uel parui facientes. In quibus quidẽ uerbis duo peripateticę diſciplinæ aduerſari conijcio: quorũ eſt unũ mathematicas diſciplinas rationẽ habere boni: alterũ uerò mathematicalia tanquam digniora naturalibus præferenda, quippè quæ intellectũ humanũ potius deorſum trahant, quã ad diuina eleuent inſpiciẽda. Priori enim dicto licet fidẽ adhibuerit Aegiptius Moyſes, Ariſtoteles tamen falſum eſſe putauit; Mathematicæ nãq; duplicẽ habent ſpeculationẽ, quarũ una earũ ſubiectum reſpicit: reliqua uerò ad nos refertur. Hanc ſpeculationũ diſtinctionẽ nobis expreſſit Ari

ſtot. primo de anima inquiens ſcientiã unã alia præſtantiorẽ eſſe uel nobilitate ſubiecti, circa quod uerſatur, uel certitudine demonſtrationis. De Mathematicis priorẽ conſiderationẽ habuit Ariſt. 3. met. tex. iij. alterã. 13. met. in calce primi capitis. Ibi. n. Mathematicas diſciplinas abſtrahere uoluit à fine bono efficiente, atq; materia: hic uerò finẽ ſolũ extrinſecũ admittit, & extrinſecũ bonũ. Prioris qui dẽ dicti ibidem ab Ariſto. ratio aſſignatur: quoniã ibi uerũ bonũ, ubi finis, quo carent mathematicæ diſciplinæ: nam finis habetur aliquo actu, qui fit per motum. at abſtrahunt à motu, & ſubiectō motus ſcientiæ iſtæ. Et hoc eodem fundamento ibi non erit efficiens, quod eſt principium motus. Sed inquiũt quidã falſum eſſe quẽlibet finẽ haberi actu, qui per motũ acquiratur, ut patet in abſtractis. Animaduertant iſti per immobilia in intelligenda eſſe, quæ nõ mouent omnino, ſed mouentur per accidẽs, quæ ſunt mathematica. Illud etiã notandũ, quòd cũ dicit Ariſt. finẽ per actũ, & actũ acquiri per motũ, non uniuerſaliter illud audiendũ eſſe: ſed cõparatione quadã facta inter naturalia, & mathematica. Re ipſa enim mathematica ſunt in naturalibus, & omnia ſortiuntur, quæ habent naturalia: cũ autem per imaginationẽ ſeiunguntur: non amplius illa ſibi conueniunt: & quoniã in naturalibus finis eſt per actum motu acquiſitũ, idcirco ſic locutus eſt Ari-

ſtote. Alterius dicti hæc ſit ratio, quoniã ſciẽtię iſtę intellectum perficiunt: & hac ratione illos mentiri dixerat Ariſtot. qui mathematicas uoluerunt nihil boni dicere. Dicunt enim (inquit Ariſt.) & demonſtrant maximè. Et quãuis in mathematicis reperiatur ordo: ibi tamen non erit bonũ, nec finis: quoniã non neceſſario uilius ordinatur ad nobilius ut conſtitutiua cauſa, uel cauſa ſiue qua non. Quare in mathematicis diſciplinis bonũ ſolum poſuit aliquo modo, non aũt ſimpliciter. A calumnia tamẽ qualibet facillimè liberatur Plato, ſi cum dixerimus cũ Pythagora omnia intellectualiter intellexiſſe: qui tamen ſeptimo de Repub. diſciplinas iſtas in ſe tantum conſideratas nihili faciendas exiſtimauit.

Diſcrimen aliud inter hos philoſophiæ principes manifeſtatur. Cap. IIII.

DE Naturalis autẽ facultatis utilitate, atq; neceſſitate quid Platonici ſenſerint, ſuperius fuit expoſitum, quibus aduerſantur peripatetici, quippè qui genus abſtractorum reperiri, eorum multitudinẽ, & quodquid eſt, ex naturali promptuario depromi affirmarint. Verum diſſidium iſtud facillimè cõponit Marſilius: nã metaphyſicam cũ rerum particulariũ, principaliũ

tamen quidditatis conſiderare putarint Platonici; cũq; naturalẽ diſciplinam illam eſſe dixerint, quæ ſingularũ rerum infimarũ quidditates fruſtra quodam modo perquirat: hinc ipſam aſcenſui noſtro nõ conferre ſunt arbitrati. Verũ quæ pro hac lite ſedãda in medium adduxit Marſilius, tantũ abeſt ut peripateticæ diſciplinæ conſonent, ut eam potius radicitus euertere uideantur. Non enim metaphyſica rerum quidditates in particulari conſiderat: naturalis ad animã uſq; rationalẽ, primo, & quarto ſtatu ſecluſis, quiditatiue cõſiderandã, extendit ipſius imperium. Illud accedit fide digniſſimum, & à peripateticis omnibus efficaciſſimis rationibus cõprobatum, naturalis ſcilicet facultatis beneficio de diuinis nos cognoſcere plurima. Ex octauo enim phyſicorum libro ſubiectum metaphyſicæ unius motus beneficio uenatus fuit Ariſtot. ibidemq; prædicata multa diuinorum materialia enunciauit. Scientia quoq; de anima (com. ij. primi libri dicebat Auerroès) inter peculiaria ipſius iuuamina, hoc unũ nobis affert præcipuum, quod poſtnaturali diſciplinæ ſubſtantiã largitur ſui ſubiecti, ut quòd formæ abſtractæ ſunt intelligentes: & diſpoſitiones quãplurimas abſtracta conſequentes in eo quòd intelligentia ſunt, & intellectus. Largitur quidem ſubſtantiam: quoniã abſtractum formam eſſe intelligentẽ declarat. Sed quoniã quæſita iſta in animaſticis ſpe

culationibus uerbis pluribus ſum proſecutus: hinc de hac in præſenti uerbum nullum eſſe habendum indicaui.

De duplici autē intellectus noſtri cognitione, de diuinis præſertim multa forent dicenda: quæ quidē omnia cum in libro De poſtrema, perfectiſſimaq; intellectus humani functione diffuſe admodum enucleauerim: ab illis nunc abſtinendum iudicaui. Quare libro huic de Aſcenſu mentis in Deum ſit extrema manus impoſita. In quo quidem cum philoſophicè tantum digreſſus fuerim: hinc omnia cũ theologis catholicis corrigenda cenſeo.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

REGISTRO.

✠ ABCDEFGHIKLMNOPQ.

Omnes ſunt quaterni prēter Q qui ſunt duerni.

VENETIIS, Apud Ioan. Baptiſtam Somaſcum. MDLXIII.

Vita Nova
di M. Sillitti
Latina-
1971